

C 663.276  
Cl. 274

# DISSERTATIO ET THESES

QUAS AD PUBLICAM DISPUTATIONEM PROPONIT

SACERDOS

# ALEXIUS BARBERIS

IN SALESIANORUM INSTITUTO INTERNATIONALI TAURINENSI

THEOLOGIAE PROFESSOR

## UT IN AMPLISSIMUM THEOLOGORUM COLLEGIUM COOPTETUR

IN ACADEMIA PONTIFICIO JURE

In aedibus Metropolitani Seminarii constituta

AUGUSTAE TAURINORUM

DIE XX MAJI MCMXXVI HORA IX


Facta cuilibet post quartum argumentandi facultate

AUGUSTAE TAURINORUM

EX OFFICINA GRAPHICA NARETTO & FANTON

Via Ravenna, 13

1926



## INDEX

I. Introductio . . . . .	pag. 5
II. Epistolae textus analytice expositus cum notatione locorum qui etiam in sermonibus inveniuntur. Observationes quaedam subduntur . . . . .	» 8
III. Epistolae historia	
A) Ante Concilium Calcedonense . . . . .	» 23
B) In Concilio Calcedonensi . . . . .	» 26
C) Post Concilium Calcedonense . . . . .	» 35
IV. Judicium Dogmaticum de Epistola . . . . .	» 41
V. Epistolae Fontes Traditionales ex praecipuis Partibus et scriptoribus ecclesiasticis latinis . . . . .	» 46
VI. Quaestio litteraria . . . . .	» 66

---

## PROPOSITUM

---

Propositum nobis, erga Romanam Petri Sedem ex animo ad dictis, contemplari Epistolam Dogmaticam, quam Sanctus Leo (die 13 Junii, 449.) ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, in causa Eutichis, misit.

Hisce auctoribus usus sum:

1. Sancti Leonis opera. Migne. P. L. 54, 55, 56.
  2. SS. Patrum et Ecclesiasticorum Scriptorum opera, ex Migne.
  3. Baronius, Annales Ecclesiastici. Coleti. Venetiis 1728. Tom. IV.
  4. Coleti. Sacrosanta Concilia. Venetiis 1728. Tom. IV.
  5. Histoire des Conciles. Hefele. Leclercq. Tom. II. Pars I et II.
  6. Josephus Antelmius. De veris operibus SS. Patrum Leonis Magni et Prosperi Aquitani. Dissertationes criticae. Lutetiae Parisiorum. 1689.
  7. Tillemont. Mémoires pour servir à l'Histoire Ecclesiastique. Venetiis 1732. Tom. XV.
  8. Bernardus Jungmann. Dissertationes selectae in historiam Ecclesiasticam. Tom. II. (Pustet - Ratisbonae 1881).
  9. Pièrre Batiffol. Le Siège Apostolique. (Lecoffre - Paris - 1924). Idem - Dictionnaire de Théologie Catholique - Fasc. 70, 71. Col. 218.
-



## INTRODUCTIO

Concilium Ephesinum (Ec. Tertium) damnaverat, anno 431, errorem Nestorii duas personas in Christo affirmantis.

Jam anno 448 novus error prorupit in Ecclesiam per Eutichem Archimandritam monasterii Constantinopolitani. Hic Nestorianis laudabiliter restiterat, sed deinde adversus illos de Misterio Incarnationis disputans, in oppositum errorem lapsus est. Eodem quidem abutens principio, quo et Nestorius in errorem inciderat, multiplicatis nempe naturis necesse esse et personas multiplicari, naturarum in Christo discrimen sustulit, unam uti hypostasim ita et naturam Christo tribuendam esse contendens. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus in Synodo ob quaedam negotia ecclesiastica coacto, 8 Nov. 448, coram triginta duobus Episcopis causam Eutichis discussit, qui post varia effugia respondit: « Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum Nostrum ante unionem; post unionem vero unam naturam confiteor... ego legi scripta Beati Cyrilli et SS. Patrum et S. Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante unionem, post Incarnationem autem et unionem non iam duas, sed unam naturam dixerunt ».

Patres mitius tunc, quamvis frusta cum Eutiche disputatione. Qua de re S. Leo postea circa finem Epistolae dogmaticae ad Flavianum conqueritur illius verbis: Cum autem ad interlocutionem examinis vestri Eutiches responderit, dicens... ect... In his S. Leo respicit affirmationem absurdam et impiam Eutichis, se fateri duas naturas ante adunctionem.

Patres enim Synodi Constantinopolitani hanc affirmationem neglexerant, alterum errorem tantummodo redarguentes de una natura post

unionem. Eutiches igitur a Synodo excommunicatus, 22 Nov. 448, sacerdotali officio ac monasterii primatu privatus fuit. Ipse tamen damnationi haud quievit, variis locis, Constantinopoli, libellos contestatorios affigi curavit et in partes suas Imperatorem Theodosium II trahere studuit. Scripsit praetera ad S. Petrum Crysologum Episcopum Ravennatem conquerens de persecutione contra ipsum excitata. Cui S. Petrus Crysologus respondit (Epist. 25) se de Eutichetis causa iudicium formare non posse ignorantem alterius partis explicationem; Romano Pontifici ius competere sententiam ferendi: « In omnibus autem hortamur te, Frater Venerabilis, ut iis quae a Beatissimo Papa Romanae Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem ».

Ad Leonem quoque litteras dedit affirmans se iniuste accusatum et dannatum. (Epistola XXI. 22 Nov. 448.) « ut et saluti meae discrimen incumberet, nisi cito opera Dei, orationibus Sanctitatis Tuiae, militaris manus me ab incursione rapuisset » (Cap. II). Et ad iudicium Romani Pontificis provocat: « Ad Vos igitur religionis defensores configlio ».

S. Leo ad Flavianum litteras misit die 18 Februarii anno 449, (Epistola XXIII) « Miramur fraternitatem tuam quidquid illud scandali fuit nobis silere potuisse, et non potius procurasse ut primitus Nos insinuatio tuae relationis instrueret, ne de rerum gestarum fide possemus ambigere ».

Sed interea litterae Flaviani integrum negotium circa Eutichem pertractantes Romam pervenerant. (Epistola XXII). Altera Epistola (XXVI Mart. 449) ad Leonem, iterum Flavianus Eutichis errorem exponit et damnationem narrat, se litteras a Leone missas recepisse scribit ac orat ut velit « per proprias quidem litteras suffragari depositioni canonice adversus eum factae... Sic enim est quae insurrexit haeresis, et ob eam excitatus tumultus facile cessabit, Deo cooperante, per vestras sacras litteras; prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse Synodus; ne sanctissimae totius orbis Ecclesiae perturbentur ».

Die 21 Majii anno 449, respondit S. Leo ad Flavianum (Epist. XXVII): « Quoniam aliter de fide quam convenit, hic qui dudum religiosi videbatur propositi esse, sentiret, quem a traditione catholica non decuerat deviare. Verum de hac re plenius per eum qui ad nos

tuae dilectionis portavit epistolas, describimus, ut fraternitatem tuam quid de tota causa constitui debeat, instruamus ». Hisce designat Epistolam nostram quam ad Flavianum misit die 13 Junii anno 449; per manus Julii Episcopi Puteolani, Renati Presbiteri tituli S. Clementis et Diaconi Hilarii, qui ut Legati Summi Pontificis Ephesum se conferebant, ad Concilium illud, desiderio Theodosii II Eutichi faventis congregatum, cui postea propter vim Patribus illatam ipse S. Leo « Latrocinii Ephesini » nomen indidit, omnem illi auctoritatem abnuens.

Alia Epistola (13 Junii 449.) ad Theodosium II, scribit se legatos suos Ephesum missurum, Eutichem se improbare et proxime se (litteris ad Flavianum) explicaturum « quae Catholica Ecclesia universaliter de Sacramento Dominicae Incarnationis credat et doceat ».

22

---

## Epistolae Textus <sup>(1)</sup>

---

**Leo Episcopus Dilectissimo Flaviano Constantino-politano Episcopo.**

PROOEMIUM. — *Praesumptio et imperitia Eutichem in errorem impulerunt.* Lectis dilectionis tuae litteris, quas miramur fuisse seras, et gestorum Episcopaliū ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contra integratatem fidei exortum fuisset agnovimus; et quae prius videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt. Quibus Euthiches, qui presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum imprudens et nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit a Propheta: *Noluit intelligere ut bene ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo.* (Ps. XXXV, 4.). Quid autem iniquius quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non cedere? Sed in hanc insipientiam cadunt qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impedirentur obscuro, non ad propheticas voce, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetiposos recurront; et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris Novi et Veteris Testimenti paginis acquisivit, qui ne ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regenerandorum voce deponitur, istius adhuc senis corde non capitur.

(1) Ea quae uncinis includuntur, legimus etiam in Sermonibus citatis.

CAPUT I. — A) *DE DUPLICI CHRISTI NATIVITATE ET NATURA EX SYMBOLO.*

Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei Incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiae lumen, in Sanctorum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem et indiscretam confessionem sollicito recepisset auditu, qua fidelium universitas profiteretur: Credere se in Deum Patrem Omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu Sancto et Maria Virgine.

B) *DOGMATIS THEOLOGICO-RATIONALIS EXPOSITIO.*

Quibus tribus sententiis omnium fere haereticorum machinae destruuntur. Cum enim Deus et Omnipotens et Pater creditur, consempiternus eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omni potens, de aeterno natus est coeternus; non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia, idem vero sempiterni genitoris unigenitus sempiternus, natus est de Spiritu Sancto et Maria Virgine.

C) *CONSIDERATIO SOTERIOLOGICA.*

Quae nativitas temporalis illi nativitati divinae et sempiternae nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini qui erat deceptus, impendit; ut et mortem vinceret, et diabolum qui mortis habebat imperium sua virtute destrueret.

Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere.

Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum matris Virginis, quae illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.

CAPUT II. — A) EXPOSITIO SYNTETICE DUPLEX ELEMENTUM IDEST DUPLICEM IN CHRISTO NATURAM EX:

I) *EVANGELIO*: Sed si de hoc christiana fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuae veritatis obcoecatione sibi propria tenebrarat; doctrinae se evangelicae subdidisset. Et dicente Mattheo: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (Matth. I, I.), apostolicae quoque praedicationis expetisset instructum.

II) *APOSTOLO*: Et legens in Epistola ad Romanos: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (Rom. I, I);

III) *PROPHETIS*: ad propheticas paginas piam sollicitudinem contulisset, et inveniens promissionem Dei ad Abram dicentis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (Gen., XII, 3. XXII, 18), ne de huius seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem: *Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, quod est Christus.* (Gal. III, 16).

Isiae quoque praedicationem interiore apprehendisset auditu dicentis: *Ecce virgo in utero accipiet et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel*, quod est interpretatum *Nobiscum Deus* (Isai. VII, 14. (Matth. I, 23.). Ejusdemque prophetae fideliter verba legisset: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius potestas super humerum ejus, et vocabunt nomen ejus, magni consilii Angelus, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Princeps pacis, Pater futuri saeculi.* (Isai. IX, 6).

B) DOGMATIS EXPOSITIO THEOLOGICO-RATIONALIS.

Nec frustratorie loquens, ita verbum diceret carnem factum, ut editus utero Virginis, Christus ha<sup>bet</sup> formam hominis et non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit D. N. J. Christum

non nostrae esse naturae, quia missus ad B. Mariam semper Virginem Angelus ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nasceretur ex te Sanctum vocabitur Filius* (Luc. I, 35.)? Ut quia conceptus virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatem enim Virgini Spiritus Sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est; et aedificante sibi Sapientia domum (Prov. IX, I) *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Joan. I, 14.): hoc est in ea carne quam assumpsit ex homine et quam spiritu vitae rationalis animavit.

[*Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae, et in unam coeunte personam, suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas; et ad resolvendum conditionis nostrae debitum, natura inviolabilis naturae est unita passibili: ut, quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero]* (1).

[*In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus quae in nobis ab initio Creator condidit, et quae reparanda suscepit. Nam illa quae deceptor intulit, et homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana auggens, divina non minuens: quia exinanitio illa qua se invisibilis visibilem praebuit, et Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis*] (2).

[*Proinde qui manens forma Dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura: et sicut formam servi, Dei forma non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit*] (3).

(1) In Serm. de Nativ. XXI.

(2) Serm. XXIII de Nativitate.

(3) Ibidem inferius.

## C) CONSIDERATIO SOTERIOLOGICA.

[Nam quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de praevaricatoris consortio invenisse solatium, Deum, quoque, iustitiae exigente ratione, erga hominem quem in tanto honore considerat, propriam mutasse sententiam; opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga nos pietatis suae dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret] (1).

CAPUT III. — A) ANALITICE EXPONIT DUPLEX ELEMENTUM SIVE DUPLICEM IN CHRISTO NATURAM EX EVANGELIO:

I. — *Ante Resurrectionem: a) ex factis.*

[Ingreditur ergo haec mundi infirma Filius Dei, de coelesti sede descendens et a paterna gloria non recedens, novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens esse coepit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam, obumbrata maiestatis suae immensitate, suscepit; impassibilis Deus non dignatus est homo esse passibilis et immortalis mortis legibus subiacere. Nova autem nativitate generatus: quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit] (2).

Assumpta est de Matre Domini, natura non culpa, [nec in Domino Iesu Christo ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitatis hominis et altitudo Deitatis] (3).

(1) Serm. II de Nativ.

(2) Serm. XXII de Nativ.

(3) Serm. XXIV de Nativ.

Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo, non consumitur dignitate. [Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit] (1).

Unus enim idemque est, quod saepe dicendum est, vere Dei Filius et vere hominis filius. Deus per id quod *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* (Joan. I, 1.): homo per id quod *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Ibid. 14): Deus per id quod *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipse factum est nihil* (Ibid. III.): homo per id quod *factus est ex muliere, factus sub lege* (Gal. IV, 4.).

Nativitas carnis manifestatio est humanae naturae; partus Virginis, divinae est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum (Luc. II, 7.). Magnitudo Altissimi declaratur vocibus angelorum (Luc. II, 3.). Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur occidere (Matth. II, 16.); sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Iam cum ad praecursoris sui Joannis baptismum venit (Matth. II, 13.) ne lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de coelo intonans dixit: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (ibid. 17.). Quem ita sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia (Matth. IV, 1, XI.). Esurire, sitire, lassescere atque dormire, evidenter humanum est. Sed quinque panibus quinque millia hominum satiare (Joan. VI, 12.) et largiri samaritanae aquam vivam (Joan. IV, 10.) cuius haustus bibenti praestet ne ultra hanc sitiat; supra dorsum maris plantis non desidentibus ambulare (Matth. 14, 25), et elationes fluctuum increpata tempestate consternere (Luc. VIII, 24.), sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa praeteream, non eiusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum (Joan. XI, 25) et eundem, remoto quatriduanae aggere sepulturae, ad vocis imperium excitare redivivum (ibid. 43.); aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse et paradisi portas fidei latronis aperire (Luc. XXIII, 43); ita non eiusdem

(1) Serm. 54 n. 2.

naturae est, dicere *Ego et Pater unum sumus* (Joan. X, 30.) et dicere: *Pater maior est* (Joan. XIV, 28.). Quanvis enim in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas; de Patre illi est aequalis cum Patre Divinitas.

Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam, et Filius Hominis legitur descendisse de coelo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua est natus assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum haec non in Divinitate ipsa, qua Unigenitus consempiternus et consubstantialis est Patris, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Unde Unigenitum Flium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum illud Apostoli: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent* I Cor. II, 8.).

b) *Ex Verbis Petri.* — Cum autem ipse Dominus noster atque Salvator fidem discipulorum suis interrogationibus erudiret, *Quem me, inquit, dicunt homines esse Filium hominis?* Cunque illi diversas aliorum opiniones retexuisserint, *Vos autem, ait; quem me esse dicitis?* Me utique qui sum Filius hominis et quem in forma servi atque in veritate carnis aspicitis, quem me esse dicitis? Ubi beatus Petrus divinitus inspiratus, et confessione sua omnibus gentibus profuturus, *Tu es,* inquit, *Christus Filius Dei vivi* (Matth. XVI, 16.). Nec immerito beatus est pronuntiatus a Domino et a principali petra soliditatem et virtutis traxit et nominis qui per revelationem Patris eundem et Dei Filium est confessus et Christum: [quia unum horum sine alio receptum non proderat ad salutem et aequalis erat periculi D. J. Christum aut Deum tantum sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse] (1).

2. — *Post Resurrectionem.* Post resurrectionem vero Domini (quae utique veri corporis fuit, quia non alter est resuscitatus, quam qui fuerat crucifixus et mortuus), quid aliud quadraginta dierum mora gestum est, quam ut fidei nostre integritas ab omni caligine mundaretur? [Colloquens enim cum discipulis suis et cohabitans atque conveniens (Act. I, 4.) et pertractare se diligenter curiosoque contactu ab eis

(1) Serm. 51.

quos dubietas perstringebat admittens, ideo et clausis ad discipulos ianuis introibat et flatu suo dabat Spiritum Sanctum (Joan. XXII, 22.) et, donato intelligentiae lumine, Sanctarum Scripturarum occulta pandebat; et rursus idem vulnus lateris (*ibid.* 27.), fixuras clavorum et omnia recentissimae passionis signa monstrabat, dicens: *Videte manus meas et pedes quia ego sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere* (Luc. XXIV, 39). Ut agnosceretur in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere; et ita sciremus Verbum non hoc esse quod carnem, ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem] (1).

B) RFM EXPONIT THEOLOGICO-RATIONALI MODO,  
QUAEDAM SCRIPTURÆ VERBA EXPLICANS.

Quo fidei sacramento Eutyches iste nimium aestimandus et vacuus, qui naturam nostram in Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnovit. Nec sententiam beati apostoli et evangelistae Joannis expavit dicentis: *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est: et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus* (Joan. IV, 2, 3.). Quid autem est solvere Jesum, nisi humanam ab eo separare naturam et sacramentum, per quod unum salvati sumus, impudentissimis evacuare fragmentis? Caligans vero circa naturam Corporis Christi, necesse est ut etiam in passione eius eadem obcoecatione desipiat. Nam si crucem Domini non putat falsam, et susceptum pro mundi salute supplicium verum fuisse non dubitat, cuius credit mortem agnoscat et carnem; nec diffiteatur nostri corporis hominem, quem cognoscit fuisse passibilem; quoniam negatio verae carnis, negatio est etiam corporeae passionis.

C) CONSIDERATIO SOTERIOLOGICA.

Si ergo christianam suscipit fidem, et a predicatione evangelii suum non avertit auditum, videat quae natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno et, aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat

(1) *Serm.* 71.

unde sanguis et aqua fluxerit, ut Ecclesia Dei lavacro rigaretur et poculo. Audiat et beatum Petrum apostolum predicantem quod sanctificatio Spiritus per aspersio[n]em fiat Sanguinis Christi. Nec transitorie legat eiusdem Apostoli verba dicentis: *Scientes quod non corruptibili bus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Jesu Christi.* (I. Petri I. 18.). Beati quoque Joannis apostoli testimonio non resistat dicentis: *Et sanguis Jesu Filii Dei emundat nos ab omni peccato* (I. Joan. V, IV.). Et quis est qui vincit mundum nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Spiritus est veritas. Quia tres sunt qui testimonium dant, Spiritus, aqua et sanguis et tres unum sunt (ibid. V. 8.) Spiritus utique sanctificationis et sanguis redemptionis et aqua baptismatis: quia tria unum sunt et individua manent, nihilque eorum a sui connexione seingitur; quia Catholica Ecclesia hac fide vivit, hac proficit; ut in Christo Jesu nec sine vera Divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate Divinitas.

#### CAPO IV. — EUTICHIS PRAVA ET SUBDOLA CONFESSIO.

Cum autem ad interlocutionem examinis vestri Eutiches respondebit, dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum Nostrum ante adunationem; post adunationem vero unam naturam confiteor; miror tam absurdam tamque perversam eius professionem nulla iudicantium increpatione reprehensam et sermonem nimis insipientem nimisque blasphemum ita omissum quasi nihil quod offenderet esset auditum, cum tam impie duarum naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Eutiches vel recte, vel tolerabiliter aestimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum, sollicitudinis tuae diligentiam commonemus, frater carissime, ut si per inspirationem misericordiae Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac sensus sui peste purgetur. Qui quidem, sicut gestorum ordo patefacit, bene cooperat a sua persuasione discedere, cum vestra sententia coarctatus profiteretur se dicere quod

ante non dixerat et ei fidei acquiescere cuius prius fuisset alienus. Sed cum anathemathizzando impio dogmati noluisset praebere consensum, intellexit cum fraternitas vestra in sua manere perfidia, dignumque esse qui iudicium condemnationis exciperet. De quo si fideliter atque utiliter dolet et quam recte mota sit episcopalis auctoritas vel sero cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem omnia quae ab eo male sunt sensa, viva voce et praesenti subscriptione damnaverit, non erit reprehensibilis erga correctum quantacunque miseratio: quia Dominus Noster verus et bonus Pastor, qui ANIMAM SUAM POSUIT PRO OVIBUS SUIS. (Joan. X. XI.) et qui venit animas hominum salvare, non perdere (Luc. IX, 56.), imitatores nos suae vult esse pietatis: ut peccantes quidem iustitia coercent, conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissime fides vera defenditur, quando etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur.

*CONCLUSIO.* — Ad omnem vero causam pie ac fideliter exsequendam, fratres nostros Julianum Episcopum et Renatum prebiterum tituli Sancti Clementis sed et filium meum Hilarum Diaconum vice nostra direximus. Quibus Dulcitium notarium nostrum, cuius fides nobis est probata, sociavimus; confidentes ad futurum Divinitatis auxilium, ut is qui erraverat, damnata sensus sui pravitate, salvetur. Deus te in columem custodiat, frater carissime. Data Idibus Junii, Asturio et Protagene viris clarissimis Consulibus.



TOTA EPISTOLA POTEST SEQUENTI TABULA COMPREHENDI

---

PROOEMIUM.

CAPUT I. — A) DE DUPLICI CHRISTI NATIVITATE ET NATURA EX SYMBOLO.

B) DOGMATIS THEOLOGICO-RATIONALIS EXPOSITIO.

C) CONSIDERATIO SOTERIOLÓGICA.

CAPUT II. — A) SYNTETICE EXPONIT DUPLEX ELEMENTUM IDEST DUPLICEM IN CHRISTO NATURAM EX :

- 1) Evangelio.
- 2) Apostolo.
- 3) Propheta.

B) DOGMATIS EXPOSITIO THEOLOGICO-RATIONALIS.

C) CONSIDERATIO SOTERIOLÓGICA.

CAPUT III. — A) ANALITICE EXPONIT DUPLEX ELEMENTUM SIVE DUPLICEM IN CHRISTO NATURAM.

EX EVANGELIO: I) ante resurrectionem: a) ex factis; b) ex verbis Petri. II) post resurrectionem.

B) REM EXPONIT THEOLOGICO-RATIONALI MODO ET QUAEDAM SCRIPTURÆ VERBA EXPLICAT.

C) CONSIDERATIO SOTERIOLÓGICA.

CAPUT IV. — EUTICHIS PRAVA ET SUBDOLA CONFESSIO.

CONCLUSIO.

## OBSERVATIONES QUAEDAM

---

Deplorat igitur initio ignorantiam SS. Scripturarum Eutichem haereticum fecisse, qui nisi imperitus et imprudens dubia sua, luce praedicationis Propheticae, Apostolicae et Evangelicae solvere potuisset. At neque Symbolum intelligentem, qui omnium baptizandorum voce depromitur, mirum non est SS. Scripturas intelligere non valuisse.

Capite primo considerat Leo Symbolum fidei, forma occidentali, ex quo duplex veritas apparet: prima pertinens ad ordinem theoricum, altera quae pressius opus Redemptionis spectat. Verum illud revelatum ratione exprimimus, dicentes duas esse Filii Dei nativitates, aeternam et temporalem, differentes quidem, sed non sese excludentes. Nativitate temporali, virginea, ex Maria, virtute Spiritus Sancti, oritur nobis Filius hominis Innocens, Sanctus, sine peccato, peccati vitor; altera nobis donat Filium Dei Unigenitum, morte fortiorum et mortis victorem. Quoad opus Redemptionis, symbolus nos docet Christum unum homini a diabulo decepto auxilium praestare et diabolum ipsum peccati et mortis auctorem vincere potuisse.

In altero capite praedicationem evangelicam, apostolicam atque propheticam exponit syntetico modo; ipsa enim ostendit in Unigenito Dei, vero homine facto, promissa Dei adimpleri, cum Ipse promissum illud Abrahae semen sit, Verbum caro factum. Memoria tenendum Leonem non directe contra Nestorium pugnare, qui divinitatem Christi humanitati sola unione morali coniungebat; sed contra Eutichem contendentem divinitatem in se humanitatem veluti absorbusse. Hoc humanum elementum igitur verum et completum Leo continue respicit et in Christo cum divino elemento, quod iam quasi supponit, in divina persona inveniri affirmat. Hoc revelatum verum ratione proponit: « Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae, suscepta est a maiestate humilitas... totus in suis, totus, in nostris tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura, ect. ». Huic parti conclusionem imponit consideratio soteriologica: « Nam quia gloriabatur diabolus, ect. ».

In tertio capite superius dicta circa utranque Christi nativitatem et utriusque naturae proprietates repetit et inculcat: « Novo ordine, nova-

nativitate generatus, etc. Deus verus, hoc testante initio evangelii Joannis; factus ex muliere, factus sub lege, ita Paulo docente.

Deinde analitico modo Christum historicum exponit, quem haud bene et integre Eutichiani considerabant, silentio prementes plura quae humanum in Christo sapiunt; ideoque, eloquenti serie, elementa humana exponit quorum unicuique semper aliud elementum divinum correspondere ostendit. Hisce resultat sensus verborum Joannis, quae vacuantur omni contradictione: « Ego et Pater unum sumus; Pater major me est ». Ita ut in compendium haec redigere hac ratione liceret: Ex historia Christi analitice considerata, necessario tum humanitatem, tum Divinitatem coadunari in unam Personam Divinam affirmamus. Quo fit ut idiomata divina et humana promiscue de hac Persona Divina praedicentur et dicere liceat Filium Dei descendisse de coelis et Dominum gloriae crucifixum fuisse. Laudabilis confessio Petri hoc sensu explicanda proponitur. Eadem denique ex iis quae de Christo a mortuis redivivo Evangelium narrat, confirmantur: cum etiam tunc divina et vere humana in Ipso consociata appareant: « Ut agnosceretur in Eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere ». Quae-dam subiiciuntur explicationes theologico-rationales et quaedam explicantur verba Scripturae ut tandem pateat via ad soteriologicas considerationes proponendas; hac enim ratione tantummodo servari potest historiae Christi fides et Passionis pretium quo nos redemit. Dolores vere caro patitur, Divinitas pretium confert. Ne solvamus Christum !

Capite quarto Eutichis errorem in particulari Concilio Costantino-politano omissum, Christum nempe duarum fuisse naturarum ante Incarnationem, damnat.

Epistolae finem imponit, qua ratione Eutiches, si rescipiscit, sit restituendus decernens et legatos suos praesentans.

Epistola maiestate plena sufficientes partes speculationi concedit, quae tamen illam ineptam communi lectorum captui non reddat, nec circa Incarnationis mysterium inter fidem populi et fidem virorum doctorum separationem ponat.

Doctrinam clare exponit et in Concilio Calcedonensi, ut videbimus, quibusdam episcopis dubitantibus ne verba quaedam (pag. 27) distinctionem naturarum et operationum affirmantia, Nestorianam haeresim saperent, facile explicatio data fuit.

Praesertim nota digna ratio est qua Leo se gerit, ut Fidei Magi-

strum decebat, cum solemnitate et omni asseveratione veritatem proponens. Vere in epistola per Leonem Petrus, seu Pastor Supremus loquutus est, cui pascendarum ovium cura commissa. Verum revelationum, factum evangelicum Auctor lucide proponit, quod deinde rationalibus formulis exprimit. Epistolae Scriptor revelationem de Christi Incarnatione plene et tranquille sine dubiis possidet, duarum scilicet in Christo naturarum in unitatem unius personae coniunctarum, quae est persona Unigeniti Aeterni Patris.

In huius veritatis luce Scriptura ipsa clarescit et potius explicatur quam directe argumentorum fons constituatur. Hoc tamen non prohibet ipsum evangelium historicum accipi deinde ut demonstrationis fons, ita ut omnis circulus vitiosus vitetur et assertioni mysterii ipsa evangelica historia suffragetur. Inter complexa ratiocinia de Incarnatione videtur Leo disceptantibus exclamare: Evangelii lectioni locus detur, ex qua sua sponte formula exurget revelationem fideliter referens et interpretans: duas nempe in Christo naturas inveniri, in unitate personae Filii Dei coniunctas. Haec est fides totius populi Christiani; hac fide Ecclesia vivit. Mirum proinde non est Leonem epistolam suam a symbolo incepisse, qui fidem Patrum continet et eius thomum vere ducem catholicis cum monophisitis disputantibus factum fuisse.

Rationalistae dogmatis historiam narrantes, affirmant Concilium Calcedonense et Leonis Epistolam evolutionem legitimam theologiae et pietatis graecae ab ipsa dependentis, interrupisse atque vacuasse. Dicimus Leonem salutem potius et theologiae graecae, quamvis reluctant, et ipsi pietati attulisse, ne in errores exitiales et vana somnia decideant. Et revera quonam theologia et pietas graeca propendebant? Ne absolutas et unum latus habentes sententias proferamus, sicut aliquando apud haud paucos Historiae Dogmatis scriptores videre est, qui distincta in Incarnationis dogmate parte, quam speculativam appellant, a consideratione realistica, affirmant theologiam Orientalium non examinasse nisi latus theoreticum speculativum, Occidentales vero latus practicum reale, eorum genio conformius. Speculativa theologia consideratio est circa dignitatem quae humanae naturae in Christo ex ipsa unione cum Divina Persona obvenit, circa modum quo uniri possunt et circa relationes inter illas exurgententes. Consideratio realis practica est de modo ipso quo Verbi Persona Incarnata per actiones suas, praesertim per Passionem et Mortem, nos a peccato et a peccati poenis liberavit.

Concedendum forsitan est theologiam Orientalium procliviorum fuisse examini theorico et Occidentalium theologiam practicam considerationi, dummodo oblivioni non dentur ea quae Orientales Patres de opere ipso Redemptionis practice proclamaverunt. Graeci theologi verum Divinum personale in Christo asserentes contra Nestorium, poterant facile in Eutichis et Monophysitarum sententiam venire, in Christo nempe humanam naturam a Divinitate fuisse aliquomodo phisice absortam, et unam aliquomodo tantummodo in Christo naturam inveniri. Hisce analogia, poterat pietas Graecorum de humanitate uniuscuiusque fidelium cogitare, qui per gratiam et charitatem adhaerent Christo Capiti et Eius Corpus Mysticum in terris constituant, intimiori adhuc modo Illi uniendi in coelis.

Si igitur Harnack affirmat theologiam graecam hunc debuisse consequi evolutionis suae terminum, affirmationem nempe completae absorptionis humanitatis a Divinitate in Christo, et hoc idem proportionaliter in coeteris christianis, et si ipse conqueritur huic motui et tendentiae Concilium Calcedonense et Epistolam Dogmaticam Leonis insuperabile obstaculum opposuisse, liceat nobis et Leoni et Calcedonensi Concilio gratias habere, qui ne in errorem et in vacuum caderent, Theologiam et Pietatem Graecam servaverunt !



---

## Epistolae Historia

---

Ut Epistolae praetium clarius appareat eius historia consideranda est.

### ANTE CONCILIO CALCEDONENSE.

In Concilio Romano (449) S. Leo Concilium Ephesinum, in quo Epistola Dogmatica ad Flavianum nec legi potuit, damnavit. At nullis litteris, nullis precibus potuit eius rescissionem a Theodosio II Imperatore obtinere. Mense Mayo 450 ad Episcopos Galliae, inter quos quaestio de praeminentia inter sedes Arles et Viennae agitabatur, litteras misit de Incarnatione Christi pertractantes (Ep. 67) una cum sua Epistola ad Flavianum et Ep. secunda Cjirilli contra Nestorium. « Ad Ravennium Episcopum Arelatensem... Hoc dilectioni tuae specialiter delegantes ut sollicitudine vigilantiae tuae Epistola nostra quam ad Orientem pro fidei defensione direximus, vel sanctae memoriae Cjirilli, quae nostris sensibus tota concordat, universis fratribus innotescat ». Huic Leonis Epistolae, tantummodo longiori interposita mora, responderunt (Ep. 99) Ravennius et Episcopi Galliarum « Perlata ad Nos epistola Beatitudinis Vestrae, quam ad Orientem Catholicae Fidei assertione misisti, optassemus statim Apostolatui Vestro pro tam immenso munere gratiarum actiones referre, nisi nobis difficultatem, qua in unum celeriter non potuimus convenire, vel spatia quibus a nobis dispalati sumus longa terrarum, vel aurarum, quae in regionibus nostris praeter consuetudinem fuit, intemperies attulisset... Quae Apostolatus Vestri scripta ita ut Sjmbolum Fidei, quisquis Redemptionis Sacraenta non negligit, tabulis cordis adscribit... »

Ex Epistola 102 quam ad Episcopos Galliae post Concilium Calcedonense direxit, appet cur sollicitum responsum ab iis optasset Leo : « Optassemus quidem fraternitatis Vestrae litteras eo tempore quo promiseratis, accipere, ut profeturis fratribus nostris ad Orientem, quos

ad Sanctam Sjnodus vice nostra pro Catholicae Fidei defensione direximus, etiam Vestrae sententiae professio iungeretur. Sed cum multa obstacula inopinatam Vobis intulerint tarditatem, quamvis seras et diu expectatas epistolas... ».

Alii tamen Episcopi Galliarum Ceretius, Salonius et Veranus Leoni responsionem dederunt (Ep. 68). « ... Illa specialis doctrina Vestrae paginae ita per omnium Ecclesiarum Conventicula celebratur, ut vere consona omnium sententia declaretur, merito illic principatum Sedis Apostolicae constitutum unde adhuc apostolici spiritus oracula reserrentur. Idecirco si dignanter admittitis, deprecamur ut opus et praesentibus et futuris temporibus profuturum, quod nos asservandi studio foliis mandare curavimus, Sanctitas Vestra percurrere et si quid librarii errore defuerit emendare dignetur; vel si salutarem lecturis omnibus paginam aliquo studii Vestri accumulastis augmento, id ipsum addi libello huic sollicita pietate iubeatis; ut non solum plures Sancti Episcopi fratres nostri per Gallias, verum etiam multi ex laicis filii vestri, qui Epistolam istam magnopere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos et Sancta manu Vestra emendatam transcribere, legere et tenere mereantur... ». Qua igitur veneratione Galliae Episcopi Epistolam Nostram prosecuti fuerint haec clare pandunt.

Ex IDACIO autem Hispano et coaevo scriptore colligimus praetera et in Hispaniam transmissam fuisse: in Chronicon, ad Olimp. 130. « De Galliis epistolae deferuntur Flaviani Episcopi ad Leonem Episcopum missae, cum scriptis Cjrolli Ep. Al. ad Nestorium Costantinopolitanum, de Eutiche ebionita haeretico et Leonis Ep. ad eundem Flavianum responsa... ».

Interea ut fidei negotia curaret et in electionem Anatolii in locum Flaviani suffecti vigilaret, Leo quatuor legatos Costantinopolim misit, Abundium scilicet et Asterium Episcopos, Basilius et Senatorem presbiteros, Epistolam suam dogmaticam deferentes, cui passus ex S. S. Patribus addiderat. Antequam Pontificis legati Costantinopolim pervenirent, die 28 Julii, Theodosius II Imperator vita cessit, eique Pulcheria soror successit, quae nupsit Marciano nobili et egregio viro. Pulcheria et Marciano imperantibus, rei religiosae status in melius omnino mutatus est. Legati S. P. honorificantissime Constantinopolim recepti sunt, quo etiam reliquiae Flaviani, propter bonam Fidei confessionem Ephesi demortui, relatae fuerant.

Theodosio II nondum vita functo, aliqua Sjnodus sub Anatolio iam collecta fuisse videtur, in qua Epistola Leonis recepta fuerat; hoc saltem affirmandum ex Actis Concilii Calcedonensis, Sess. 4<sup>a</sup>. Alterum concilium locale, Marciano imperante, locum habuit, concurrentibus supradictis S. P. legatis; in quo Anatolius et caeteri adstantes Epistolae dogmaticae subscripserunt (Nov. 450) et illam aliis Episcopis subscribendam miserunt.

Cum S. P. legati Romam remeassent, Abundius Episcopus Comensis et Senator presbiter Mediolanensis domum redeuntes, litteras Leonis ad Eusebium Mediolanensem Episcopum tulerunt, quibus Papa eum rogabat ut Episcopos dependentes congregaret et illis Epistolam suam Dogmaticam legeret, quam omnes adprobare deberent, anathematizzantes errores de Incarnatione Christi. Probabiliter concilium Mediolani congregatum fuit, cui 22 Episcopi adfuerunt. Initio Epistola Leonis ad Flavianum lecta fuit, cui omnes consenserunt anathema dicentes erroribus circa Incarnationem. Extat inter epistolas Leonis (Ep. 97) epistola qua Eusebius Mediolanensis Episcopus in concilio acta ad Leonem refert (aestate anni 451): « Admonitis ergo fratribus et Coepiscopis meis, habitoque conventu, Vestrarum formam tenuimus litterarum. Nam recensita Epistola Beatitudinis Vestrae in sacerdotum Domini concilio, quam Sanctus frater et coepiscopus noster Abundantius et compresbiter meus Senator detulerant, agnitaque eorum narratione, sicut scripta vestra signaverant rerum gestarum ordine continuo, requisita est recitataque Epistola, quam fidei assertione plene digestam, ad Orientem dudum Sanctitas vestra transmiserat, quae ad nos ex vestra admonitione, sancto fratre et Coepiscopo nostro Ceretio mutuante pervenit. Claruit eam plenam fidei simplicitate fulgere, prophetarum etiam assertionibus, evangelicis auctoritatibus ed apostolicae doctrinae testimoniis, nitore quodam lucis ac veritatis splendore radiare, omnibusque sensibus convenire, quos, Beatus Ambrosius, de Incarnationis Dominicae misterio libris suis, Spiritu Sancto excitatus, inseruit ».

Multa omittimus quae praecedunt et parant convocationem Concilii Calcedonensis, quippe quae non directe quaestionem nostram respi- ciunt. Cum litteras Imperiales, indicentes concilium Nicaeae, recepis- set, respondit Leo ad Marcianum (Epist. 89): « Sed quia vos amore catholicae fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare

viderer arbitrio, fratrem et coepiscopum meum Paschasinum, qui vicem praesentiae meae possit implere, direxi: Bonifacio fratre et compresbitero meo sociato... Praedictum fratrem et coepiscopum meum vice mea Synodo convenit praesidere ». Eadem die ad Paschasimum Episcopum Lilibaetanum litteras dedit (Epist. 88): « Tamen ne quid forte sollicitudinem tuam latuere potuisset, epistolam nostram, quam ad sanctae memoriae Flavianum de hac re plenissimam misimus, quamque Ecclesia universalis amplectitur, diligentius tibi recensendam cognoscendamque direxi. Ut autem in omnibus plenius tua sit instructa dilectio, SS. Patrum nostrorum de Sacramento Incarnationis Domini quid senserint et quid Ecclesiis praedicaverint, ut evidenter agnosceres, aliqua ad dilectionem tuam scripta transmisi, quae nostri quoque apud Constantinopolim cum mea quidem Epistola allegarunt. Et totam Constantinopolitanam Ecclesiam cum monasteriis omnibus et multis episcopis noveris praebuisse consensum et subscriptionis suis Nestorium atque Eutichem suis anathematizasse dogmatibus. Noveris etiam proxime me epistolam Constantinopolitani episcopi accepisse, quae refert Anthiochenum Episcopum, missis per provincias suas tractoriis, universos episcopos et epistolae meae praebuisse consensum et Nestorium atque Eutichem pari subscriptione damnasse ».

### IN CONCILIO CALCEDONENSI.

Ad Synodum, quae Niceae primum indicta postea vero Calcedone congregata fuit, scribit Leo (Epist. 93): « In his fratribus hoc est Paschasio et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio qui ab apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas aestimet praesidere. Unde, fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi quod non licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam, plenissime et lucidissime per litteras quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum quae sit de Sacramento Incarnationis D. N. J. Christi pia et sincera confessio ».

Concilium die 8 Octobris 451 Calcedone collectum est, quod usque ad diem 1º Novembris perduravit. Sessione prima inquisitum est contra Dioscorum, in cuius caput crimina in pseudo Ephesina Synodo patrata recidebant, quiique Epistolam Leonis ad Flavianum legi non permiserat.

Sessione secunda, die 10 Octobris 451, egerunt Patres de fide, et magistratibus monentibus ut expositionem quandam fidei praepararent, clamarunt id non esse necessarium, iam esse provisum per Symbola conciliorum et per epistolas Cyrilli atque Leonis. Cecropius episcopus Sebastopolitanus dixit: Emerserunt quae ad Eutichetem pertinebant et super illis forma data est a SS. Archeepiscopo Romae urbis, et sequimur eum, et epistolae omnes subscrisimus. RR. Episcopi clamarunt: Ita omnes dicimus, sufficient quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. Magistratibus tamen instantibus ut ita manifestum fieret si qui essent dissentientes, Symbolum Nicaenum et Constantinopolitanum lectum fuit, insuper epistolae Cyrilli (II<sup>a</sup> ad Nestorium et epistola ad Joannem de unione) atque Leonis ad Flavianum. Lecta epistola Leonis, RR. Episcopi clamaverunt: Haec, Patrum fides, haec Apostolorum fides... Petrus per Leonem locutus est. Leo et Cyrius similiter docuerunt; anathema ei qui sic non credit.

At cum epistolae pars legeretur quae scribit: Et ad persolvendum conditionis nostrae debitum, natura inviolabilis naturae unita est passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus et mori posset ex uno et mori non posset ex altero... dubitantibus Illiricianis et Palestinensibus RR. Episcopis, Aetius, Archidiaconus Sanctae Constantinopolitanae Ecclesiae, legit Cyrilli sanctae memoriae, Alexandrinae Magnae civitatis quondam Episcopi, capitulum ita continens: « Quoniam vero iterum proprium eius corpus gratia Dei, sicut ait Paulus, pro omnibus gustavit mortem, ideo dicitur ipse passus propter nos mortem, non tanquam in experimentum veniens mortis quod ad suam pertinebat naturam (dementiae est enim hoc dicere aut sapere), sed quia, secundum quod nuper dixit, caro ejus gustavit mortem ».

Similiter cum legerentur haec verba epistolae: Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis...; dubitantibus Illiricianis et Palestinensibus RR. Episcopis, Aetius, Archidiaconus sanctae Constantinopolitanae Ecclesiae legit sanctae memoriae Cyrilli capitulum sequentia continens: « Quaedam sunt voces quam maxime Deum decentes, quaedam vero decentes humanitatem, quaedam vero medium quendam tenentes ordinem, insinuantes Filium Dei, Deum esse et hominem simul ».

Pariter cum ex eadem epistola sequentia legerentur: Quanvis in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria; de nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est aequalis cum Patre divinitas; dubitantibus Illiricianis et Palestiniensibus RR. Episcopis, Theodoreus R. Episcopus Cyri dixit: Est similiter exemplum beatissimi Cyrilli habens ita: «Et factum hominem et non mutantem quod proprium est, permansit enim id quod erat, intelligitur vero omnino et aliud in alio quod habitat, idest divina natura, in humanitate.

Post lectionem autem Epistolae Dogmaticae Leonis et explicaciones concessas, magnificentissimi iudices et amplissimus Senatus, externam disciplinam Concilii custodientes, dixerunt: Post haec omnia adhuc quis dubitat? Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Nemo dubitat. Atticus tamen Episcopus Nicopolis rogavit ipsi sociisque eius concederentur aliquot dies ut Epistolas Cjilli et Leonis et S.S. Patrum scripta tranquilla mente considerare possent, «ut in tempore disceptationis parati inveniamur». Tunc iudices dixerunt: Differatur audience usque ad quinque dies, ut intra hos conveniat vestra sanctitas ad S. Episcopum Anatolium et communiter de Fide tractetis, ut qui dubitant doceantur. Omnes Rev. Episcopi dixerunt: «Nos ita credimus (ut Leo), nostrum nullus dubitat, Nos iam subscrisimus». Magnificentissimi et gloriosissimi iudices et amplissimus Senatus dixerunt: Non est necessarium omnes vos convenire; sed quia conveniens est omnibus dubitantibus persuadere, Anatolius eligat de his qui subscriperunt, quos putaverit esse idoneos ad docendos eos qui dubitant.

Actione tertia Concilii Dioseurus depositus est.

Actione quarta die 17 Octobris habita, quum dies concessi Episcopis Illiricis et Palestiniensibus elapsi essent, iudices Imperiales dixerunt: Manifestatis his quae iampridem constituta sunt, quod placuit Reverendissimo Concilio de Sancta Fide, ipsam nos doceant Paschasinus et Lucentius Reverendissimii Episcopi, et Bonifatius Reverendissimus presbiter, Vicarii Sedis Apostolicae. Tunc legati per virum reverendissimum Paschasinum Episcopum dixerunt: Sancta et beatissima Sjnodus, Fidei regulam, quae apud Nicaeam a Patribus est constituta, sequitur et tenet, sed etiam et centum quinquaginta apud Constantinopolim sub sanctae recordationis Theodosio Maiore congregata.

gata Sjnodus, ipsam Fidem confirmavit; cuius Sjmboli expositionem a beatae recordationis viro Cjrillo apud Ephesum expositam (quando Nestorius est pro sua calliditate damnatus) similiter amplectitur: tertio vero Beatissimi atque Apostolici Viri universalis Ecclesiae Papae Leonis, Nestorii et Eutichetis damnantis directa scripta, quid Fides habeat, espostierunt. Similiter vero et Sancta Sjnodus hanc fidem tenet, hanc sequitur, nihil amplius nec addere potest, nec minuere.

Hac expositione graece redita per Beronicium devotum secretarium divini Consistorii, Rev. Episcopi clamaverunt: Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus, sic credimus. Hisce non obstantibus, iudices saeculares ut Imperatori satisfacerent et dubitantibus vel haereticis resistantibus omnem excusationem eriperent, dixerunt: Quoniam S. Evangelia posita a Reverentia vestra perspicimus, singuli REV.EP. qui convenerunt, doceant si expositio trecentorum decem et octo Patrum qui olim in Nicaea collecti sunt et post haec centum quinquaginta qui in regia congregati civitate, consonat Epistolae Rev. Papae Leonis. Anatolius Cost. Ep. primus sententiam dixit: Epistola Summi Pontificis et Deo amicissimi Archiepiscopi Leonis consonat Sjmbolo trecentorum et decem et octo Patrum qui apud Nicaeam, et centum quinquaginta qui apud Cost. postea sunt collecti, qui eandem Fidem confirmaverunt, sed et iis, quae in Epheso sub Beatisimo et S. Cjrillo gesta sunt ab universali et Sancto Concilio, quando maledictum Nestorium damnavit. Quapropter consensi et eidem epistolae libenter subscripsi... Deinde legati per Paschatinum dixerunt: Manifestum est, nec poterit dubitari unam fidem Beatissimi Papae, Sedis Apostolicae Rectoris, Leonis, cum trecentorum decem et octo apud Nicaeam concordare atque detineri; centum quoque quinquaginta apud Cost. congregatorum sacerdotum qui eandem fidem firmaverunt, sed et Cjrilli sanctae recordationis viri apud Ephesum (quo Nestorius pro suo errore damnatus est) statuta, in ullo penitus discordare. Ideoque beatissimi Papae Leonis Epistola, quae illam fidem exposuisse contra errores Eutichetis est visa, uno sensu, uno quoque spiritu videtur illi fidei esse coniuncta.

Accedunt dein vota aliorum Episcoporum, nec non vota Ep. Illirianorum et Palestinensium, post auditas explicationes subscribersunt. Plures denique Episcopi, qui dicuntur fuisse centum sexaginta, omissis votis singulis, per acclamationem communem concordarunt

cum coeteris: Omnes acquiescimus, omnes similiter credimus, omnes eadem sapimus.

Plura, minoris momenti quoad argumentum nostrum, omittimus de quibus in hac sessione actum est.

Sessione quinta die 21 Octobris 451 egerunt Patres de editione formulae fidei, quam ab ipsis petebant. Symbolus quidam praeparatus fuit, ab Anatolio probabiliter, haud paucis aliis Episcopis consentientibus, quoad sensum orthodoxus, sed quoad electionem verborum non sufficienter accuratus, affirmans Christum esse *ex duabus naturis*, nec hac parte bene consentiens Leoni in sua Epistola dicenti Christum esse *in duabus naturis*. Quamvis enim formula « *ex duabus naturis* » possit orthodoxo sensu intelligi, potest tamen etiam sensu eterodoxo, monophysitico nempe, accipi, veluti si ex duabus naturis, divina et humana, composita fuisse natura Verbi Incarnati, in qua illae non amplius distinctae subsistant: aut tamquam si in Christo ante Incarnationem duplex natura assereretur quem errorem explicite in fine Epistolae Leo damnaverat. Nec adeo facile quaestio soluta fuit! Mirum admodum, post adprobationem et receptionem Epistolae Leonis! Tandem fidei formula, legatis Leonis consentientibus, inventa est, quam iudices saeculares Concilio proposuerunt: Dignetur S. Sjnodus cum taciturnitate audire quae decreta sunt a S. S. Patribus... In illa fidei formula dicunt se confirmare fidem Conciliorum praecedentium (ubi notare liceat quo sensu adhibeant aliquando vocem « *confirmare* », confirmant enim et adprobant firmissima iam et absoluta documenta fidei qualia haberi debent certe ipsa concilia oecumenica) Nicaeni, Constantinopolitani primi et Ephesini, « *nec non* Epistolas sjnodicas beatissimi Cjrrilli, Alexandrinae Ecclesiae Praesulis ad Nestorium et ad Orientales congruenter habentes suscepimus... quibus etiam Epistolam Magnae et Senioris Romae Praesulis Beatissimi et Sanctissimi Archiepiscopi Leonis quae scripta est ad sanctae memoriae Archiepiscopum Flavianum ad perimendam Eutichetis malam intelligentiam... » Haec excipit formula explicita dogmatica, in qua facile non tantum influxus conceptuum, sed etiam verba Epistolae Leonis conspiciuntur.

## SYMBOLUS CALCEDONENSIS.

Sequentes igitur Sanctos Patres unum eundemque confiteri Filium et Dominum Nostrum Jesum Christum consonanter omnes doceamus; eundem perfectum in Deitate et eundem perfectum in huminitate, Deum verum et hominem verum (1), eundem ex anima rationali et corpore (2), consubstantiale Patri secundum Deitatem (3), consubstantiale nobis similem, absque peccato (4); ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrici secundum huminitatem (5), unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concorrente (6): non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et Unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum sicut ante Prophetae de eo et ipse nos Jesus Christus erudit et Patrum nobis Symbolum tradidit.

## EPISTOLA LEONIS.

(1) Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. S. Leon, Epist. dogm., c. iv, P. L., t. LIV, col. 767.

(2) In ea carne, quam assumpsit ex homine et quam spiritu vitae rationalis animavit. Ibid. c. II.

(3) Nec in Domino Iesu Christo ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis... Sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Ibid. c. IV.

(4) Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati. Ibid. c. III.

(5) Idem vero sempiterni Genitoris Unigenitus natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Ibid., c. II.

(6) Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae et in unam coeunte personam. Ibid., c. III.

Praesens graecus textus Symboli Calcedonensis habet: ἐν δύο φύσεων; at latina versio antiqua scribit; in duabus naturis. Ex dictis in hac quinta sessione circa differentiam verborum « In duabus naturis » et « ex duabus naturis » et praesertim ex iis quae contra hanc alteram dicendi rationem prolata fuere, evidens est latinum interpretem antiquum in textu greco primitivo ἐν δύο φύσεσιν legisse. Et huic hypotesi testimonium antiquitatis suffragatur: primo loco te-  
Et huic hipotesi testimonium antiquitatis suffragatur: primo loco te-  
stimonium celebris Eutimii abatis Palestinensis, Concilii Calcedonensis coaevi, cuius multi discipuli praedicto concilio tanquam Episcopi adfuerunt (Baronius, ad annum 451, num. 152). Judicium ferens de Symbolo Calcedonensi, praecipua doctrinae capita a Concilio asserta exponit adhibens eadem verba quibus concilium usum fuerat. In nostrum locum scribit: ἐν δύο φύσεσιν γνωρίζεσθαι ομολογεῖ τὸν ἐνα  
Χριστὸν (Mansi. t. VII., Col. 774 et P. G. T. 114, COL. 650).

Alterum testimonium praebet Severus Antiochiae Patriarca monophysita anno 513, qui, patres Calcedonenses obiurgat quia declaraverant: ἐν δύο φύσεσιν αδιαιρέτοις γνωρίζεσθαι τὸν Χριστὸν (Sententiae Severi, Mansi. t. VII. col. 839).

Centum annos fere post Concilium Calcedonense, Evagrius in sua Historia Ecclesiastica, libro II, capite IV (P. G. T. 86, col. 2508), Symbolum Calcedonensem in extenso ponit, legens: ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως.

Anno 533 Severiani cum Orthodoxis Costantinopoli disputantes, exprobant Concilium Calcedonense eo quod scripserat « in duabus naturis » loco « ex duabus naturis » sicuti Cyrilus et antiqui Patres docuerant (Mansi. t. VIII. col. 892).

Anno 610 in opere « De sectis » Leontius Bizantinus explicite affirmit Synodum Calcedonensem docuisse ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως. Evidens est Leontium talia verba, nonnisi absolute certum, monophysitis obiecisse (P. G. t. 86, col. 1227).

Nota dignum omnes versiones latinas antiquas legere « in duabus naturis »: versionem Rustici nec non hanc praecedentes.

Synodus Lateranensis anno 649 in suis Actis legit « in duabus naturis ». (Mansi. t. X. col. 1046).

Epistola Agatonis S. P. ad Imperatorem Constantium II quae in sexto Concilio Oecumenico lecta fuit, refert Symbolum Calcedonensem cum verbis « in duabus naturis » (Mansi. t. XI, col. 256).

Hisce rationibus moti eruditorum modernorum maxima pars in hanc sententiam venerunt vere textum primitivum legisse « in duabus naturis », quod etiam historia Symboli omnino postulat.

Haec fere omnia sunt quae ex historia Concilii Calcedonensis premium Epistolae nostrae illustrant; quibus tamen duo adhuc addenda. Generatim Conciliorum collectiones post omnes actus Concilii Calcedonensis, postremo loco, alloquutionem quandam Concilii ad Imperatorem Marcianum ponunt, quae melius, ut videtur, post sessionem V, vel etiam antea, collocanda esset.

« Allocutio Sancti et Universalis Calcedonensis Concilii ad Marcianum piissimum et amatorem Christi Imperatorem.

**COMPENDIUM.** Quod non innovas aliquid adversus Nicaenam fidem nunc Sanctissimus Archiepiscopus Leo scripsit epistolam ad sanctae memoriae Flavianum Constantinopolitanae regiae urbis Episcopum, sed SS. PP. secutus sit, qui et post magnam Synodus Nicaenam, haereses quae per unumquodque tempus exhortae sunt, similiter refutaverunt...

« Non igitur nobis admirandi romanae urbis praesulis epistolam, velut innovationis offendiculum criminentur; sed si non est divinis Scripturis coaptata redarguant, si non praecedentium Patrum sententiis adunata, si non impiorum accusationem continet, si non defensionem Nicaenae fidei profert... Sed, o vos Christi amantes, et imperio, superno nutu vobis concesso, dignissimi, compensate ei fidem qui beneficia tanta concessit... malignorum quidem molimina refraneantes... ac velut signaculum sacrae doctrinae, concilii huius a vobis congregati, praedicationem Petri sedis auctoritate roborantes. Confidere namque oportet vestram pietatem quia nihil praeter fidem, quae olim a SS. Patribus annuntiata est, Venerabilis Romanus Pontifex innovavit ».

Harnack in Opere « Historia dogmatis » putat majorem partem Calcedonensium Patrum symbolo subscriptissime intelligentes se Cyrilium et primum Concilium Ephesinum (anno 431) sequi. Ipsi enim, Cyrilum talem naturarum in Christo unionem docuisse vi cuius natura humana a divina quodammodo absorbeatur, firmum est. Nonne Cyrilus hanc unionem phisicam esse dixit et de una Christi natura locutus est? At Harnack verba materialiter premens, quo ortodoxo sensu illa Cyrilus adhibuerit non considerat. Mirum tamen at confi-

tendum est, aliquos Patres formam « ex duabus naturis » alteri « in duabus naturis » praedilexisse, hac optione vel non bene vim formalium percipientes, aut non plene ortodoxe sentientes. Legati Pontificii e contra, rem optime perspexerunt, in electione alterutrius formulae absolutum momentum reponentes et minantes sese a concilio recessuros, nisi formula « in duabus naturis » eligeretur, quae omnem omnino tergiversandi viam monophysitis paecluderet. Altera enim formula « ex duabus naturis » poterat utique orthoxo sensu intelligi, sed non repugnabat omnino interpretationi monophysitiae; poterat enim quis ea uti subintelligens Christum ex duabus naturis in unam quandam tertiam coaluisse.

Quidquid de his, certum est Patres Calcedonenses omnes formulam « in duabus naturis » acceptasse eidemque subscrispsisse, cuius nonnisi unus et orthodoxus sensus haberi potest.

Loofs (Christologie, in Realencyklapädie fur Protestantische Theologie und Kirche) decretum vel symbolum dogmaticum Calcedonense constituisse putat compromissum inter duas theologicas opiniones de distinctione duarum naturarum in Christo, alteram latiorem Orientalium, Occidentalium alteram strictiorem. Existimat tamen ipsum theologiae Occidentali favere. Proinde, eius sententia, debilitas formulae calcedonensi inest, hoc ipso quod compromissum aliquod est, quod ideo non potuit nervos praevidere controversiae quae multo adhuc tempore perduravit. Haec Loofs.

Sed, si licet addere verbum, vere neque in symbolo Calcedonensi, neque, et eominus, in epistola dogmatica Leonis compromissum recognoscere licet, quae adeo perspicua et determinata sunt ut bene ex se potuissent omnem subsequentem disceptationem excludere, nisi hanc dissensus personarum et locorum potius quam theologica motiva, theoretica, fovisserent.

Sessione VI, Marcianus Imperator, quem Pulcheria Imperatrix aulici, commissarii conciliares atque Senatores, pompa magna, comitabantur, concilium adlocutus est. « Nec in posterum quisquam audeat de Nativitate Domini et Salvatoris Nostri Jesu Christi aliter disputare, quam Apostolica praedicatio et instituta traecentorum decem et octo SS. Patrum fidem convenientia, posteritati tradidisse noscuntur, sicut etiam S. Leonis papae urbis Romae, qui Sedem Apostolicam gubernat, missa ad Sanctae memoriae Flavianum Constantinopolitanae urbis episcopum scripta testantur ».

## EPISTOLAE HISTORIA POST CONCILIUM CALCEDONENSE.

Ex epistola quam Calcedonenses ad Leonem miserunt de Actis in Synodo (inter ep. Leonis, 98) apparet epistolam Leonis ut gravissimum documentum ab illis habutum fuisse et tanquam regulam ad cuius normam in orthodoxam fidem inquisiverunt; haec enim, inter alia, in ea legimus. « Quam (salutem) veluti auro textam seriem, ex pracepto legislatoris veniente usque ad nos, ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, et eius fidei beatificationem super omnes adducens... et eramus in communi corona gaudii quasi in imperialibus coenis, deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Christus praeparaverat invitatis... Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras, in his qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam p[ro]ferentes ».

Concilio itaque dimisso, Marcianus Imperator per litteras 18 dec. 451 (ep. 100) Leoni gratulatur de fide apud Caledonem roborata et iuxta Epistolam Eius a Synodo exposita: « Totius orbis, qui sub imperio nostro est, RR. Episcopis Calcedonem convocatis, tractatu habito, post multa certamina, vera fides obtinuit et iuxta litteras Sanctitatis Tuae, universi assenserunt expositioni prout veritas postulavit ».

Anatolius ad Leonem de actis Calcedone referens (ep. 101) et qua ratione definitio fidei edita fuisset, Sancta Euphemia adiuvante, enarrans; scribit: « Ad confirmandam eam quae Patrum nostrorum fuit fidei definitionem, iuxta vestram illam sacram epistolam... ».

Idem Leo Episcopis Galliae (ep. 102, 27 Jan. 452) nunciat Calcedone Eutichem damnatum fuisse atque Sjnodum suae Epistolae consensisse « Quae diabolicorum sensuum prodigiosa commenta, Sancta nunc Synodus, humilitatis nostrar[um] scriptis, auctoritate Domini mei Beatisimi Petri Apostoli et merito roboratis, religiosa unanimitate consentiens abominandum hoc ab Ecclesia Dei amputavit opprobrium ».

Julianus Episcopus Coensem, quem quasi permanentem legatum Costantinopoli constituerat (ep. 113, 11 Mar. 453) per litteras commendat Epistolam suam <sup>et de</sup> <sup>ex</sup> Actis Calcedonensis Concilii in Latinum convertendis monet. « Utrum autem Epistola mea, quam de Incarnationis Dominicae fide, incolumi adhuc Sanctae memoriae Flaviano, ad dilectionem tuam per Basiliū Diaconum miseram, fraternitati sit tradita, scire desidero: quādā suspectum habeo quod de eius textu nullum unquam iudicium reddidisti ».

Theodoretum Episcopum Cjrensem (ep. 120, II, Jun. 453) admonet: « ... ut quotiescumque, divina gratia administrante, illos qui foris sunt fonte doctrinae aut submergimus aut purgamus, in nullo ab illis quas Spiritus Sancti Divinitas in Calcedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter utrumque hostem novellae perfidiae sermonem nostrum cum omni cautela libremus: non iam, quod absit, tanquam de dubiis disceptantes, sed auctoritate summa quae bene definita sunt adstruentes; cum et in Apostolicae Sedis epistola, universalis sanctae Synodi assensu firmatae, tanta divinae auctoritatis testimonia neverimus esse congesta, ut nullus queat ulterius dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit ».

Cum monachis Palestinensibus contra statuta Calcedonensia, aperta etiam vi, rebellantibus (epis. 124), conqueritur de sua epistola in graecum perverse reddita « Sollicitudini meae patefactum est dilectionis vestrae animis quidquam offensionis illatum, dum aut imperiti, ut apparet, interpres, aut maligni, quaedam vos aliter intelligere quam a me praedicata fecerunt; non valentes in graecum eloquium apte et proprie latina transferre, cum in rebus subtilibus et difficilibus explicandis, vix sibi etiam in sua lingua disputator quisque sufficiat... Quanvis enim epistola mea ad Sanctae memoriae Flavianum Episcopum data, satis ad manifestationem sui ipsa sufficiat, neque in aliquo aut purgationis, aut expositionis indigeat; et alia tamen cum eadem mea scripta concordant, in quibus similiter praedicationis meae sensus in aperto est ».

Proterium Episcopum Alexandrinum Dioscoro suffectum Nov. 451 (ep. 129) monet Episcoporum esse vigilare ne fidei unitas violetur, quod vel litterulae immutatione fieri potest: « Non enim novae praedicationis est epistola mea qua ad relationem sanctae memoriae Flaviani contra Eutichem de Domini Nostri Jesu Christi Incarnatione respondi, in nullo discedens ab eius fidei regula, quae evidenter a nostris vestrisque est defensa maioribus... Plebem autem et clerum omnemque fraternitatem ita debet diligentia tua ad profectum fidei cohortari, ut nihil te novum docere demonstres, sed ea omnium insinuare pectoribus quae venerandae memoriae Patres consona praedicatione docuerunt, cum quibus nostra in omnibus, concordat epistola... Unde lectis primitus praedicatorum sacerdotum assertionibus, tunc dénum mea quoque recitentur, ut aures fidelium probent non aliud nos quam quod a maioribus accepimus praedicare ».

Marciano Augusto de fide Proterii Alexandrini gratulatus (ep. 130), ab ipso petit ut epistola sua ad Flavianum ab haereticis falsata in Graecum transferatur de novo et Alexandrinis publice recitetur. « Quia vero quorundam haereticorum versuta nequitia ad conturbandam nostrorum simplicitatem epistolam meam, quam ad beatae memoriae Flavianum dedi, falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam verbis vel sillabis, receptorem me Nestoriani erroris assererent, obsecro Venerabilem clementiam vestram ut eandem epistolam per fratrem meum Julianum Episcopum vel eos quos idoneos ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Graecum sermonem iubeatis integre diligenterque translatam, per idoneum perlatorem; sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam iudicibus Alexandrinis, qui eam clero et plebi ipsius civitatis cum praedictorum Episcoporum praedicationibus, quibus et mea scripta consentiumt, faciant recitari... ».

Quapropter Julianum Coensem (epis. 131) monet ut suam ad Flavianum epistolam ex latino in Graecum transferre velit et sub signaculo Augusti missam Alexandrinae plebi in Ecclesia recitare faciat. « ... Hoc fraternitati tuae laboris iniungo, ut eandem epitolam meam quam in omnibus apostolicae concordare doctrinae consonantia maiorum exempla testantur, diligent interpretatione ex latino in Graecum transferre digneris, quam gloriosissimus et fidelissimus princeps ad Alexandinos iudices, sicut poposci, sub signaculi sui impressione transmittat, christiana plebi in Ecclesia recitandam... ».

Sanae doctrinae promulgationis studio ardens eundem Julianum (epis. 152) admonet nihil esse in sua epistola vel novi, vel obscuri, vel dubii. « Miror sane calumniantium vanitati aliquid adhuc in epistola mea, QUAE UNIVERSO MUNDO PLACUIT, obscurum videri, ut de ea patent apertius exponendum: cum illius praedicationis tam plana et solida sit assertio, ut nihil recipiat vel in sensu, vel in sermone novitatis; quia quidquid tunc a nobis scriptum est, ex Apostolica et Evangelica probatur sumptum esse doctrina ».

Reverentiam quam Concilium Calcedonense erga hanc epistolam ostendit, tempus haud minuit. In Romana Synodo sub Gelasio pronuntiatum fuit anathema « si quispiam de huius epistolae textu usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit » (Tom. V. Concil. Ven. edit. pag. 387). Et S. Gregorius, lib. VI, epist. 2: « Si quis contra harum quatuor synodorum fidem et contra

sanctae memoriae Leonis Papae tomum atque definitionem aliquid unquam loqui presumit. anathema sit ».

Hinc in fidei professionibus nihil frequentius quam post generalia concilia, huius epistolae doctrinam profiteri. Apud Orientales, ubi Eutichis haeresis turbas excitaverat, haec consuetudo primum inducta, ut liquet, inter caetera, ex aliquot epistolis Hormisdæ, ex epistola Petri Diaconi ad Fulgentium et ex concilio Apamensi an. 535. Idem mos etiam ad Occidentales transivit et diu etiam obtinuit. Vide professionem Adalberti Episcopi Morinensis ad Hincmarum Remensem, ex Sirmondo editam tom. X Concil. Venetate editionis p. 1388, et sponzionem Episcoporum provinciae Aquileiensis ad Paulinum Patriarcham, e ms. Vat. 1322, editam a Patre Bernardo de Rubeis in Monumentis Ecclesiae Aquileien, ad an. 801, pag. 380. Cum S. Amatus abbas iam moriturus professionem fidei edere vellet, hanc epistolam, ad se afferri et sibi legi jussit, quoniam in ipsa plenissima ratio fidei catholicae continetur, quemadmodum tradit ejus Vitæ auctor, num. 24, tom. II; saecul. Benedictini II, pag. 126.

Inter divina officia olim in Romana Ecclesia, tempore Adventus, publice legebatur haec epistola, unde eam descriptam invenimus in Lectionariis quae usui erant basilicae Vaticanae, nec non in alio vetustissimo quod ad SS. Philippi et Jacobi basilicam pertinebat. Hinc in Ordine Romano XI, in Dominica 3 Adventus habetur: Deinde Episcopi legunt quartam et quintam lectionem de epistola S. Leonis Papae missa Flaviano episcopo de Incarnatione Domini contra Eutichem haereticum. Id ipsum in aliis Italiae Ecclesiis receptum didicimus ex quam pluribus mss, Lectionariis aliarum urbium, quae eandem epistolam aliis atque aliis diebus eodem Adventus tempore exhibent. Ex ms. bibliothecæ Regiae Quaesnellus colligit (Diss. I ad an. 440, n. 9) idem olim factitatum esse in Galliarum ecclesiis, quod confirmari potest ex Lectionario S. Benigni Divionensis, quo Chiffletius usus est, cum eandem epistolam edidit in calce operum Virgilii Tapensis, nec non ex monumentis Gallicanis, quae a P. Martene laudantur, De antiquis monachorum Ritibus, lib. III, C. 2. Ex hujusmodi autem Lectionariis traducta fuit in aliquot collectiones Sermonum S. Leonis, quae ex Lectionariis originem ducunt (1).

(1) Ex Migne. P. L. Vol. 54, col. 753-54.

Demum Epistolae nostrae quam historia commendat, piae narrationis decus non deest (Baron. Tom. VI, ad 449, n. 40-41). « Sed quid prodigiosum accidisse traditur, cum ejusmodi epistolam christiana fidei regulam Sanctus Leo scripsisset, testificatione (ut asseritur) S. Gregorii Papae, relatione Sancti Eulogii Episcopi Alexandrini, scriptione vero Sophronii, hic primum reddendum putavimus; sic enim se habet: « Narravit nobis et hoc Abbas Menas ejusdem coenobii Pater audisse se eundem Abbatem Eulogium Alexandrinum Patriarcham dicentem: Cum profectus essem Constantinopolim, fruitus sum contubernio domini Gregorii Romani Archidiaconi et singularis viri; qui narravit mihi de Sanctissimo ac Beatissimo Leone Romano Pontifice, dicens haberi scriptum in Ecclesia Romana quod cum scripsisset epistolam ad S. Flavianum Constantiopolitanum Episcopum contra impios Eutichetem et Nestorium, posuerit eam super tumulum Principis Apostolorum Petri, et orationibus ac vigiliis et ieuniis vacans oraverit ipsum Summum Apostolorum, dicens: Si quid ut homo, vel minus caute posui, tu, cui a Domino Salvatore nostro Iesu Christo et haec sedes et Ecclesia commissa est, emenda. Post quatuor vero dies apparuit ei Apostolus ac dixit: Legi et emendavi. Sumensque epistolam de sepulcro B. Petri, aperuit eam et invenit Apostolica manu emendatam ». Haec ibi. Sed praestat audire potius sententiam Petri, quam visionem Petri, dicentis: Firmorem quavis visione habemus sermonem propheticum, ect. Etenim maiorem sibi ea epistola fidem vindicat ex divinis Scripturis, traditionibusque sanctae Ecclesiae, et communis Sanctorum Patrum consensu, quam ex recensita modo visione. Sed quid per visum ostensem fuerit de ipso Eulogio pro eadem epistola adversus haereticos laborante, ista idem auctor subnectit: « Theodorus sanctissimus Episcopus Dornae, quae est in Lybia, narravit nobis dicens: Cum essem cubicularius Sancti Papae Eulogii, vidi in somnis virum reverendi habitus, statura procerum, dicentem mihi: Nuncia meum Eulogio Papae adventum. Ad quem ego: Quis es tu qui iubes ut nunciem? Respondens ille dixit mihi: Ego sum Leo Romanus Pontifex. Ingressus igitur ego nunciavi dicens: Sanctissimus et Beatissimus Papa Leo, Romanae sedis Antistes convenire vos vult... Cum hoc audisset Papa Eulogius exurgens, concitus occurrit in occursum eius. Salutantesque se invicem, oratione facta, considerarunt. Tunc vero Dominus et eximius Leo dixit S. Eulogio: Scis quare huic ve-

nerim ad vos? Respondit ille: Non. Ait ipsi: Veni ut vobis gratias agerem, quia rite et magnifice pro mea epistola respondistis, quam scriptam misi ad fratrem meum Flavianum Constantinopolitanum Patriarcham, sensum quidem et sententiam meam aperientem, haereticorum autem ora obstruentem. Scito autem, frater, quia non mihi tantum vestrum divinum labore studiumque contulisti, sed etiam supremo culmini Apostolorum Petro et Ipsi p̄ae omnibus quae a nobis praedicitur Veritati, qui est Christus Deus Noster. Ista non semel tantum, sed bis terque conspiciens, trina apparitione firmatus, enarravi Sancto Papae Eulogio, qui cum audisset, lacrimatus est, extendensque in coelum manus suas, Deo gratias retulit, dicens: Gratiam tibi ago, Dominator Orbis Christe Deus Noster, qui cum indignus sim, veritatis tuae praecognitionem me facere et per orationes servorum tuorum Petri et Leonis parvam et modicam alacritatem nostram, tanquam duo viduae minuta, summa et ineffabili benignitate tua suscipere dignatus es » (1). Hac tenus ibi (ex Baronio loc. cit.).



(1) Sophr. Prat. Spira C. 147. 148.

---

## Iudicium Dogmaticum de Epistola

---

Occasione Epistolae Dogmaticae S. Leonis ad Flavianum, a Theologis praesertim Gallicanis, multae et graves quaestiones de relatione inter auctoritatem Papae et Concilli Oecumenici pertractatae fuerunt. Supponunt generaliter documentum illud fuisse definitionem, ut aiunt, ex cathedra, adeo ut sic liceat argumentari: Concilium Calcedonense in Epistolam Leonis inquisitionem instituit et post examen illam adprobavit, quia catholicae fidei conformem invenit. Atqui ille qui post inquisitionem potest adprobare, certe superior est adprobando. Ergo Concilium est superius Papa et acta istius irreformabilitatem, quae convenit decretis magisterii infallibilis, ab eius auctoritate accipiunt!

Quoad Majorem hujus argumenti respondeo: Transeat; multa enim consideranda essent si hisce quaestionibus nunc ex professo operam daremus. Hoc unum forsan non est praetereundum, nos nempe aliquando tribuere theologis saeculi quinti claram illam conceptuum determinationem et loquendi modos qui proprie saeculis insequentibus competunt, in quaestionibus de infallibilitate Romani Pontificis et Concili Oecumenici nec non de eorum mutua relatione.

Quoad praesuppositum totius disputationis et argumenti, respondeo: Nego suppositum. Et hoc cum auctoritate Beati Cardinalis Bellarmini et assentiente Rev. Domino Batiffol. Ille enim in quarta controversia generali De Conciliis et Ecclesia Militante, libro secundo, cap. 19, in quo solvit obiectiones contra caput XVIII: « PONTIFICEM NON POSSE SUBIICERE SEIPSUM SENTENTIAE COACTIVAE CONCILIORUM », difficultatem proponit ex Hermanno, lib. III, cap. XII: « Quartum exemplum est S. Leonis cuius Epistolam in Concilio Calcedo-

nensi multi Episcopi examinarunt, ut refert Evagrius, lib. II, cap. XVIII, ed ipse Leo Ep. 63, gloriatur epistolam suam a Concilio adprobatam fuisse ».

Respondeo hanc non sequi Concilium esse supra Papam: nam Leo Epistolam suam miserat ad Concilium, non ut continentem ultimatum et definitam sententiam, sed ut instructionem tantum, qua adiuti Episcopi melius iudicarent. Posteaquam autem omnes consenserunt epistolae Leonis, tunc demum edita est definitio ultima nomine Pontificis et Concilii.

Hisce Rev. Batifol consentiens notat hac ratione quaestionem illam excludi: Leonis enim mens fuit Ecclesiae fidem proponere ut Episcopi universi ei subscriberent, quam ipse tamquam Episcopus exprimebat, infallibilitate haud utens. Vide DICT. DE THEOL. CATH., fasc. 70-71, col. 252

Bossuet e contra in DÉFENSE DE L'ÉGLISE GALLICANE, gallicano sensu concludit, deplorans Bellarminum, excellentem adeo theologum, ad tam miserabilia et absurdia effugia deductum fuisse, et pro sua sententia Baronium citat. Hic vero, quamvis quaestionem non explicite moverit et ideo ei explicitam respcionem non dederit, tamen verbis utitur passim quae Epistolam Leonis editam ut regulam Fidei videntur agnoscere.

Theologi orthodoxi Epistolam Leonis tanquam documentum ex cathedra accipientes, inquisitionem et adprobationem concilii Calcedonensis ad illam seriem actuum rationis reducebant, qui necessario praecedunt ac comitantur quamcunque iam propositam animi submissionem decretis fidem infallibiliter proponentibus, quae tamen prius explicari et intelligi deberi omnino evidens est.

Gallicani vero epistolam Leonis Calcedone discussam et iudicio subiectam fuisse ex Actis Concilii contendebant, ita ut ab auctoritate concilii illius firma irretractabilitas originem duceret.

Quibus orthodoxi opponebant irretractabilem assensum epistolam firmantem nihil aliud fuisse quam splendorem et vim illam socialem quae ab externa et sociali solemnitate Concilii Oecumenici, ex natura rerum, ad eius acta descendit. Concilia enim Oecumenica splendidissimum Senatum Ecclesiae Catholicae constituunt, in quem fidelium oculi intendunt, sive agatur de decretis conciliari modo efficiendis, sive de proclamatione alicuius documenti Summi Pontificis fidem ex cathedra

proponentis, cui concilium examen intelligentiae et plenam animi submissionem impedit.

Inter tantorum virorum haud consentientes sententias constitutis licet nobis humiliter addere verbum, duo nempe suggerere criteria quaestioneis solutioni perutilia. I<sup>o</sup> Orthodoxum est admittere in credentibus, cursu temporis labente, quoad intellectionem dogmatum, progressum qui non obstet eorum immutabilitati et veritati. Hoc sensu dicimus Ecclesiae saeculi quinti non esse tribuendam eodem modo et gradu dispositionem qua nunc mens nostra afficitur asserens Infallibilitatem personalem Romani Pontificis et eius superioritatem in Concilium; quamvis nunc non alia sit Ecclesiae de hoc doctrina. Praxi praesertim, aliqua agendi ratio tolerari tunc potuit, quae non omnino respondeat iis quae saeculis posterioribus et nostris praesertim diebus, iam arctius inter se membris Ecclesiae congregatis et doctrina Infallibilitatis R. P. clarius et profundius perspecta, firmius statuta sunt.

II<sup>o</sup> Utrum epistola quaedam dogmatica alicuius Summi Pontificis documentum ex cathedra sit, in quo nempe fideles tanquam Magister Infallibilis doceat, an non, hoc tandem aliquando ex intentione ipsius Summi Pontificis pendet, quae ex solemnitate formularum, a qua tam non semper necessario resultat, manifestari potest, vel potius ab ipsius documenti tenore, vel, evidenter, ex explicitis declarationibus ipsius Summi Pontificis.

In epistola Leonis solemniores illae formulae desunt quibus alias Pontifices declarant se non tantummodo christianum populum veritatem docere velle, sed ei quid fide tenendum infallibiliter et obligatorie se proponere, fidei actum postulantes. Epistola adprobat sententiam concilii particularis Constantinopolitani contra Eutichem, qui doctrinam Ecclesiae elementarem, quam omnes baptizandi profitentur, ignorat. In Christo duas esse naturas in unitate unius Personae, declarat Pontifex fidem esse «qua Ecclesia Catholica vivit et proficit».

In epistola ad Calcedonenses Patres (26 Junii 451) declarat Leo se in scriptis ad Flavianum exposuisse «quae sit de sacramento Incarnationis Domini pia et sincera confessio».

Cum Episcopis Galliae (Epist. 102) in responsione tardioribus paternae conqueritur ut legimus; illorum enim subscriptiones epistolae suae, Patribus Calcedonensis doctrinam in illa contemptam vere esse fidem totius Occidentis demonstrassent.

Epistola 88 ad Paschasinum Episcopum Lylibaetanam, legatum in Synodo futurum, nuntiat Orientalis dioecesis Episcopos subscriptisse epistolae ad Flavianum, cuius exemplar ad ipsum mittit. « ... cum mea epistola nostri allegarunt. Et totam Costantinopolitanam Ecclesiam cum monasteriis omnibus et multis Episcopis noveris praebuisse consensum et subscriptionibus suis Nestorium atque Eutichem cum suis anathematizasse dogmatibus ».

Videtur ergo dicendum epistolam dogmaticam Leonis expositionem fuisse fidei quam Ecclesia amplectitur, qua Calcedonenses adiuti inter haeresis anfractus cursum dirigere valerent.

Coeterum Leonis mens optime elucet ex epistola 120 quam, concilio absoluto, ad Theodoretum Cyrensem misit, ex qua etiam apparet Pontificem Illiricianos Episcopos non inculpare, qui obiectiones moverant, nec illos, quasi fidem infallibili suae auctoritati detrectassent, reprehendere. « Unde gloriamur in Domino qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu: ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis iudicium recepisset: ut in hoc quoque capiti membra concordent. In quo amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros saevius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quam coeteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt qui de iudiciis nostris ambigerent, et dum nonnulli, a dissensionis iniciati auctore, ad contradictionum bella prosiliunt, ad maius bonum, malum eius, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur; et minus bonum videri solet pax continua per otium, quam redditum per labores. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per se probatur reprobum, silentii praeiudicio videatur oppressum ».

Ideo cum Leo de examine et, ut dicunt, retractatione suae Epistolae in Concilio facta, non sit conquaestus, cum Beato Bellarmino S. E. Doctore sentiemus R. Pontificem illam non tanquam ad Infalibilitatem suam provocans, Calcedonensibus Patribus imposuisse. Illam post adprobatum a S. Pontifice Leone Conc. Calc. omnino ut absolutam fidei regulam suscipiendam esse patet.



---

## De Epistolae Fontibus Traditionalibus

---

Unanimis consensus Patrum in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.

Theodoreetus Cyrensis († 457) in opere « Eranistes seu Polymorphus » tribus dialogis constante: I) IMMUTABILIS; II) INCONFUSUS; III) IMPATIBILIS; in fine uniuscuiusque dialogi subdit Patrum testimonia quibus Orthodoxus Eranistem veram doctrinam docet. Sequenti tabula sub oculos ponimus seriem citationum, ut cito appareat amplam illum testimoniorum messem collegisse.

### I.

S. Ignatius Ep. Ant.  
S. Irenaeus Ep. Lugd.  
S. Hippolitus Ep.  
S. Methodius Ep.  
S. Eustathius Ep. Ant.  
S. Athanasius Ep. Alex.  
S. Ambrosius Ep. Mediol.  
S. Basilius Ep. Caesar.  
S. Gregorius Ep. Nazian.  
S. Gregorius Ep. Nys.  
S. Flavianus Ep. Ant.  
S. Amphilochius Ep. Icon.  
S. Theophilus Ep. Ales.  
S. Ioannes Ep. Constant.  
Apollinaris.

### II.

S. Ignatius Ep. Anthioch.  
S. Irenaeus Ep. Lugd.  
S. Hippolitus Ep.  
S. Eustathius Ep. Ant.  
S. Athanasius Ep. Alex.  
S. Ambrosius Ep. Mediol.  
S. Basilius Ep. Caesar.  
S. Gregorius Ep. Nazian.  
S. Gregorius Ep. Nys.  
S. Amphilochius Ep. Icon.  
S. Theophilus Ep. Ales.  
S. Flavianus Ep. Ant.  
S. Cyrilus Ep. Hieros.  
S. Hilarius Ep.  
S. Augustinus Ep.  
Severianus Ep. Gabal.  
Atticus Ep. Constant.  
S. Cirillus Ep. Alex.  
Apollinaris.

### III.

S. Ignatius Ep. Antioch.  
S. Irenaeus Ep. Lugd.  
S. Hippolitus Ep.  
S. Eustathius Ep. Ant.  
S. Athanasius Ep. Alex.  
S. Damasus Ep. Rom.  
S. Basilius Ep. Caesar.  
S. Gregorius Ep. Nazian.  
S. Gregorius Ep. Nys.  
S. Amphilochius Ep. Icon.  
S. Flavianus Ep. Antioch.  
S. Gelasius Ep. Pal.  
S. Joannes Ep. Constant.  
Severianus Ep. Gabal.  
Apollinaris.  
Eusebius Emesenus.

In Actis Concilii Calcedonensis, post allocutionem ad Marcianum Imperatorem, subiecta invenimus « Testimonia SS. Patrum qui duas naturas in Christo confessi sunt ». En nomina :

S. Basilius - Anthiochus - S. Cyrillus - S. Ambrosius - S. Flavianus - S. Gregorius - S. Joannes - S. Athanasius - S. Atticus - S. Amphilochius - S. Proclus.

Cassianus « De Incarnatione Domini », tractatui finem imponens, et ipse refert testimonia Patrum. En nomina : S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieronimus, Rufinus, S. Augustinus, S. Gregorius Naz., S. Athanasius, S. Joannes Constant.

Ideo nihil mirum etiam Leonem, non cum prima vice epistolam ad Flavianum misit in Concilio Ephesino legendam, sed postea Patrum testimonia adiunxisse, quando ante Concilium Calcedonense per Abundium et Senatorem ad Concilium particulare Constantinopolitanum illam misit Anatholio, Episcopis et monacis subscribendam, ut patet ex epistola 88. ad Paschasinum legatum futurum in Synodo Calcedonensi. « Ut autem in omnibus plenius tua sit instructa dilectio, SS. Patrum nostrorum, de Sacramento Incarnationis Domini quid senserint, et quid Ecclesiis praedicaverint ut evidenter agnosceres, aliqua ad dilectionem tuam scripta transmisi, quae nostri quoque apud Constantinopolim cum mea epistola allegarunt ». En nomina Patrum ex quibus testimonia adducta sunt : S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Joannes Constant., Sane Augustinus, Sane Gregorius Nazianz., Sane Cyrillus Alex.

Anno 458. ad Imperatorem Leonem de Incarnatione scribens haec eadem subdit, quaedam ex Hilario addens et insuper ex Athanasio, Theophilo, Basilio testimonia deducens.

Collationem instituentes inter nomina Patrum quos Leo et Theodoreetus citant, haec invenimus : S. Joannes Constant., Gregorius Naz. et Basilis, citantur in Iº Theodoreti dialogo et a Leone, sed passus ex operibus differentibus sumuntur.

Ex dialogo secundo invenimus communes cum Leoni, tum Theodoreto, infrascriptos auctores ; S. Hilarium, S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Gregorium. Naz., S. Cyrillum Alex. Ex S. Hilario quaedam habet Leo cum Theodoreto communia, ex libro IX de Trinitate « Nescit plane ect ». Ex S. Ambrosio quaedam communia et quaedam propria habet. Ex S. Augustino quaedam propria refert Leo ex

epistola ad Volusianum, ex Evangelio Joannis, ex libro « Assertio fidei ». Etiam quaedam pauca ex S. Gregorio et Cyrillo concordant.

In dialogo tertio citantur S. Joannes Constant. et S. Gregorius Naz., quos etiam Leo citat, quin in passibus citatis concordet.

Quos Patres Leo citat, iam citaverat Cassianus in « De Incarnatione Domini » et quaedam ex S. Gregorio concordant.

Utrum Leo a Cassiano et a Theodoreto dependeat, docti quaestio-  
nem movent. Cum Cassianus ex desiderio Leonis opus suum anno 431,  
ante Concilium Ephesinum primum, scripserit et cum ipsi in Oriente  
scriptores Orientales legendi facultas fuisse videatur, Leonem ab ipso  
dependere probabile est.

Utrum Leo a Theodoreto dependeat nihil certi statui potest, sed  
haud improbable est per epistolam Leonis duos Occidentales scripto-  
res Hilarium et Ambrosium Orientalibus innotuisse et illos in poste-  
riori publicatione « Eranistes » post Concilium Calcedonense Theodo-  
retum citasse. Prima enim exemplaria « Eranistes » anno 447 adscri-  
benda videntur, ante quam epistolam suam Leo conscripserit.

Et nos vestigia Leonis prementes, quomodo traditio Occidentalium  
scriptorum in eius epistola dogmatica resonet, aliquando etiam de  
verbo ad verbum ostendere intendimus.

#### EX TERTULLIANO (Migne, P. L. t. II).

*Adversus Praxeam Cap. XXVII docet Filium, non Patrem, factum hominem, nec desiisse Deum esse, adeo ut naturae humanae idiomata in Christo inventa fuerint... « Sed enim invenimus Illum directo et Deum et hominem expositum, ipso hoc Psalmo suggestente quoniam Deus homo natus est in illa, aedificavit eam voluntate Patris; certe usquequaque Filium Dei et Filium hominis, cum Deum et hominem sine dubio secundum utramque substantiam in sua proprie-  
tate distantem: quia neque sermo aliud quam Deus, neque caro aliud quam Deus, neque caro aliud quam homo... Videmus duplē statum non confusum, sed coniunctum in una persona, Deum et hominem Iesum... Et adeo salva est utriusque proprietas substantiae, ut et Spiritus res suas egerit in illo, id est virtutes et opera et signa, et caro passiones suas functa sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usque ad mortem; denique et mortua est. Quod si tertium quid esset ex utroque confusum, non tam*

distincta documenta paterent utriusque substantiae... Sic et Apostolus etiam Dei et hominum appellans sequestrem (I. Tim. II. 5), utriusque substantiae confirmavit ».

*De carne Christi*, Cap. V..... Ita utriusque substantiae census hominem et Deum exibuit: hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, inde praefortem; hinc morientem, inde viventem. Quae proprietas conditionum, divinae et humanae, aequa utique naturae utriusque veritate, dispuncta est eadem fide, et spiritus et carnis. Virtutes Spiritum Dei, passiones carnem hominis probaverunt. Si virtutes non sine Spiritu, proinde et passiones non sine carne. Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua parte mentiri et quidem in semetipsum; ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem... Fuit itaque phantasma etiam post resurrectionem, cum manus et pedes suos discipulis conspiciendos offerret: Aspicite quod Ego sum, quia spiritus ossa non habet, sicut me habentem videtis.

CAP. XVI. Defendimus autem non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non materiam, sed naturam; nec substantiam, sed culpam... Quod ipsa non peccatrix caro Christi, eius fuit par cuius erat peccatum; genere non vitio Adae... Quod in Christo caro sine peccato habeatur quae in homine sine peccato non habebatur.

CAP. XX. Quid fuerit novitatis in Christo ex Virgine nascendi, palam est...

CAP. XXI. Non enim Virgo concepit, neque peperit, si non quidquid peperit ex Verbi concepto, caro ipsius est.

CAP. XXII. Ergo ex semine David caro Christi. Sed secundum Mariae carnem, ex semine David... siquidem ex Mariae utero Christus.

*Adversus Marcionem*. III. 8. Si mendacium deprehenditur Christi caro... nec passiones Christi fidem merebuntur.

*De Baptismo*. II. Quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius.

*De pudicitia XXII*. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius? Ad hoc enim venerat ipse, ut a delicto purus et omnino sanctus, pro peccatoribus obiret.

## EX NOVATIANO (Migne. P. L. t. III).

In libro De Trinitate initium sumit Novatianus, sicuti S. Leo, a Symbolo fidei. Cap. I<sup>o</sup>. Regula exigit veritatis ut primo omnium credamus in Deum Patrem et Dominum Omnipotentem, id est rerum omnium perfectissimum conditorem.

CAP. IX. Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem etiam in Filium DEI, J. C. DOMINUM N., sed DEI Filium; cuius Dei qui et unus et solus est, etc.

CAP. XXIX. Sed enim ordo rationis et fidei auctoritas digestis vocibus et litteris Domini, admonet nos post haec credere etiam in Spiritum Sanctum etc.

A cap. IX<sup>o</sup> usque ad caput XXIX, Novatianus totus est in demonstratione non minus divinae quam humanae naturae in Christo. Identitas argumenti et abunde protracta demonstratio, inducunt similitudinem sensuum et aliquando 'etiam verborum inter Leonem et Auctorem nostrum.

CAP. X. Declarat J. C. Dei Filium esse et vere hominem, contra haereticos phantasiastas, qui veram carnem illum suscepisse negabant. « Neque igitur eum haereticorum agnoscimus Christum, qui in imagine fuit et non in veritate: nihil enim verum eorum quae gesserit fecerit, si ipse phantasma et non veritas fuit: neque eum qui nihil in se nostri corporis gessit, dum ex Maria nihil accepit, ne non nobis venerit, dum non in nostra substantia visus apparuit. Et sanguis idcirco de manibus ac pedibus, atque ipso latere demanavit ut nostri consors corporis probaretur, dum occasus nostri legibus moritur. Qui dum in eadem substantia corporis in qua moritur, resuscitatus, ipsius corporis vulneribus comprobatur, etiam resurrectionis nostrae leges in sua carne monstravit, qui corpus quod ex nobis habuit in sua resurrectione restituit ».

CAP. XI. Aggreditur demonstrationem Christum et Deum esse. « Ne haereticis hominem illum nudum et solitarium probare cupientibus manus dedisse videamur... sed ut, divinitate Sermonis in ipsa concretione permixta, etiam Deum illum secundum Scripturas esse teneamus. Est enim periculum grande Salvatorem generis humani, totius Dominum et Principem mundi... hominem tantummodo dicere... Quasi enim hominis in illo fragilitates considerant, quasi Dei virtu-

tes non computant; infirmitates carnis recolunt, potestates divinitatis excludunt. Quando si probatio haec ex infirmitatibus Christi illuc proficit ut homo ex infirmitatibus comprobetur, probatio divinitatis in illo collecta ex virtutibus illuc proficiet ut etiam Deus ex operibus asseratur. Si enim passiones ostendunt in illo humanam fragilitatem, cur opera non asserant in illo divinam potestatem?

... Periculum enim erit nec hominem illum ex passionibus ostendi, si non potuerit etiam Deus ex virtutibus adprobari... Quomodo est, qua homo, ex Abraham, sic est etiam, qua Deus, ante ipsum Abraham. Et quomodo, qua homo, filius David, ita dominus David, qua Deus, nuncupatus est... Et quomodo ex semine David, qua homo, genitus est, sic item per ipsum, qua Deum, mundus dicitur institutus. Et sicut in coelum, qua homo ascendit, sic inde, qua Deus ante descendit... Ita si mediocritates in illo adprobant humanam fragilitatem, maiestates in illo affirmant divinam potestatem. Periculum est enim, cum utrumque legis, non utrumque, sed alterum credidisse.

CAP. XIII. Quis igitur dubitet, cum dicatur: Verbum caro factum est, et habitat in nobis: Christum, cuius est nativitas, et quia caro factum est, esse hominem, et quia Verbum Dei, Deum incunctanter edicere esse; praesertim cum animadvertat Evangelicam Scripturam, utramque istam sustantiam in unam nativitatis Christi foedrassae concordiam?

CAP. XXIII. Quoniam si ad hominem veniebat ut mediator Dei et hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, et Verbum carnem fieri, ut in semetipso concordiam confibularet terrenorum pariter atque coelestium, dum utriusque partis in se connectens pignora, et Deum homini, et hominem Deo copularet... Hoc altissimum atque reconditum sacramentum ad salutem generis humani ante saecula destinatum in D. J. C. Deo et homine invenitur impleri, quo conditio generis humani ad fructum aeternae salutis posset adduci.

CAP. XXIV. Ac sic facta est inter Filium Dei hominisque, cum sua tamen sociatione distinctio: atque ideo Christum Jesum Dominum, ex utroque connexum (ut ita dixerim), ex utroque contextum atque concretum, ut in eadem utriusque substantiae concordia mutui ad invicem foederis confibulatione sociatum, hominem et Deum cognoscant.

Cap. XXV. Si enim Scriptura proponeret Christum tantummodo

Deum et nulla in illo fragilitatis humanae sociatio esset permixta, merito illorum hic aliquid valuerisset sermo contortus: si Christus Deus, Christus autem mortuus, ergo mortuus est Deus. Sed cum non tantummodo illum Deum, sed et hominem Scriptura constitutus, consequens est, quod immortale est incorruptum mansisse teneatur. Quis enim non intelligat quod impassibilis sit divinitas, passibilis vero sit humana fragilitas? Quis non facile cognoscat non illud in Christo mortuum esse quo Deus est, sed illud in quo homo est?

EX S. HILARIO (Migne P. L. t. XI et X).

Libro I. de Trinitate. num. 11. Ac ne Verbum caro factum, aut aliud esset quam Deus Verbum, aut non nostri corporis caro esset, habitavit in nobis; ut dum habitat, non aliud quam Deus maneret; dum autem habitat in nobis, non aliud quam nostrae carnis Deus factus esset. Per dignationem assumpta carnis non inops suorum, quia tanquam Unigenitus a Patre plenus gratiae et veritatis, et in suis perfectus sit et verus in nostris.

Libro I. de Trinitate. num. 13. Carnem enim peccati recepit; ut assumptione carnis nostrae, delicta donaret, dum eius fit particeps assumptione, non criminie.

Libro II. de Trinitate. num. 16. Per id quod in nobis habitat Verbum caro factum, Deus est in nostri corporis veritate.

Libro III. de Trinitate. num. 15. Dei Filius homo nascitur; sed Dei in partu Virginis virtus est. Dei Filius homo cernitur; sed Deus in operibus hominis existit; Dei Filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit.

Libro VI. de Trinitate num. 36. Neque enim Petro tantum ex confesso honore laus redditum est, sed ex agnitione mysterii; quia non Christum solum, sed Christum Dei Filium esse confessus est. Nam utique ad confessionem honoris sufficerat dixisse; Tu es Christus. Sed inane fuerat Christum ab eo confessum fuisse, nisi Dei Filium confiteretur... Hoc est divinae revelationis Sacramentum, Christum Dei Filium non solum nuncupare, sed credere.

Libro IX. de Trinitate. num. 11. Videsne ita Deum et hominem praedicari: ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur; non tamen ut alius sit qui mortuus est, et alius sit per quem mortuus resurgit?

Libro IX. de Trinitate. Sicuti neque cum secundum hominem auctet, aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut lacrimis, aut timori, aut sommo est confitendus; sed salva Unigeniti in se veritate, secundum carnis infirmitatem fletum, somnum, sitim, lassitudinem, metum passus esse.

Libro X. de Trinitate. num 19. Huius igitur corporis homo Jesus Christus et Dei Filius et hominis est Filius et ex forma Dei se exhinaniens, formam servi accipit. Non aliud filius hominis, quam qui Filius Dei est: neque alius in forma Dei, quam qui in forma servi perfectus homo natus est; ut sicut per naturam constitutam nobis a Deo originis nostrae principe, corporis atque animae homo, ac Deus esset, habens in se totum verumque quod homo est, et totum verumque quod Deus est.

Libro X. num. 16. Non enim Maria corpori originem dedit, licet ad incrementa partumque corporis omne quod sexus sui est, praestiterit.

Libro X. de Trinitate. num. 17. Quae Beata Virgo officio usa materno sexus sui naturam in conceptu et partu hominis executa est.

Num. 15. Virgo enim nonnisi ex suo, Sancto Spiritu, genuit quod genuit et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se foeminae edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanae conceptionis coaluit naturam. Tenuit in hominis nativitate quod matris est.....

In Mattheum 1, 8. Humanae salutis causa, Christus in corpore est, quod assumpsit ex homine.

Libro X. num. XXII. Ut vero assumpsisse formam servi, non aliud est quam hominem natum esse: ita in forma Dei esse, non aliud est quam Deum esse, unum tamen eundemque, non Dei defectione, sed hominis assumptione.

Libro X. de Trinitate. num. 47. Nam cum natus sit lege hominum, non tamen hominum lege conceptus est; habens in se et constitutionem humanae conditionis in partu, et ipse extra constitutionem humanae conditionis in origine.

Libro X. de Trinitate. num. 48. Triumphus plane est quaeri ad crucem et offerentem se non sustinere; stare ad sententiam mortis, sed inde concessurum ad dexteram virtutis; configi clavis, sed pro persecutoribus orare; acetum potare, sed sacramentum consummare;

deputari inter iniquos sed paradisum donare: elevari in ligno, sed terram tremere: pendere in cruce, sed solem et diem fugere; exire e corpore, sed revocare animas in corpora; sepeliri mortuum, sed resurgere Deum; secundum hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundum Deum his omnibus triumphare.

Libro X. de Trinitate. num. 66. Praedicans enim Filium hominis Dei Filium, qui cum ex dispensatione homo esset, maneret tamen ex natura Deus; eundem ex infirmitate crucifixum ait, qui ex virtute Dei viveret, ut cum infirmitas esset ex forma servi, et natura maneret ex forma Dei et qui cum esset in forma Dei assumpsisset formam servi, non ambiguum esset, et in quo sacramento et passus esset et viveret; ut cum in eodem esset et infirmitas ad passionem, et ad vitam Dei virtus, non aliud ac divisus a se esset qui et pateretur et viveret.

In Psalmum 53. num. 7. Ut absolutissimum nobis humanae humilitatis esset exemplum, omnia quae hominum sunt et oravit, et passus est. Et ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus a Patre; ut nativitatem nostram cum ipsis infirmitatis nostrae iniisse intelligeretur officiis. Hinc illud est quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum coetus fugit, moestus fuit et flevit et passus et mortuus est.

In Psalmum 139. num. 2. Christus ex infirmitate corporis anxius...

In Psalmum 141. num. 1. Non ob naturalem (Verbo) quasi passionis metum, sed affectum hominis quem gerebat ostendens... ut ipse non simulatus, sed verus homo posset intelligi.

In Psalmum 139. num. 11. Hoc autem ab eo dici ex ratione poterit, qui gerens hominis Deique naturam, habeat et ex hominis infirmitate trepidationis affectum, et ex conscientia divinitatis fiduciam securitatis.

In Psalmum 54. num. 6. Et haec quidem in eum omnia quae nostrae necessitatis sunt irruerunt; sed ab eo naturae suae virtute suscepta sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam timorem in se mortis ingruentem non renuit.

EX S. AMBROSIO (Migne. P. L. t. 14. 15. 16. 17).

Lectio libri DE INCARNATIONE a S. Ambrosio conscripti vere nobis suadet Leonem Epistolam dogmaticam scribente m illum prae oculis habuisse, at necesse est potiora tantummodo citare.

enim per omnia ex natis de foemina sanctus Dominus Jesus, qui terrena contagia corruptelae immaculati partus novitate non senserit, et coelesti maiestate depulerit. Ib. in Lib. IV. N. 10. De tentatione Christi: In ipsa eum (diabolus) religione supplantat, ut faciat non cre-

CAP. V. N. 35. Christus est Dei Filius, et sempiternus ex Patre et natus ex Maria Virgine: ... non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. N. 36. Generatio generationi non praeiudicat, nec caro divinitati. Idem enim patiebatur et non patiebatur; moriebatur et non moriebatur, etc. Moriebatur secundum nostrae susceptionem naturae et non moriebatur secundum aeternae substantiam vitae; et patiebatur secundum corporis susceptionem, ut suscepti corporis veritas crederetur: et non patiebatur secundum Verbi impassibilem Divinatem. 39. Erat igitur immortalis in morte, impassibilis in passione. Pendebat in cruce et omnia commovebat. Tremebat in ligno quem totus tremebat hic mundus. Erat inter supplicia et regnum coeleste donabat.

CAP. VI. N. 5. Ergo ex nobis accepit quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro: et quod nostrum non erat, ex suo nobis, divina largitate, conferret... Secundum conditionem etenim corporis in utero fuit, natus est, lactatus est, in praesepio est collocatus, sed supra conditionem Virgo concepit, Virgo generavit: ut crederes quia Deus erat, qui novabat naturam; et homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.

CAP. IX. N. 104. Partus enim Virginis non naturam mutavit, sed generandi usum novavit.

COMM. in LUCAM. Lib. II. In illud: quomodo fiet istud? Incredibilis et inaudita generatio ante audiri debuit, ut crederetur. Virginem parere, divini est signum misterii, non humani. Ib. N. 40. Si igitur generationem utramque cognovimus, et utriusque munus unum, et causam qua venit advertimus, ut pereuntis mundi peccata suscipiens, peccati labem, et omnium mortem in se, qui vinci non posset, aboleret, consequens est, etc. Ib. n. 43 evolvens argumentum omnibus scriptoribus sacris carum: Ex utero funditur, sed coruscat e coelo... Nupta perperit, sed virgo concepit; nupta concepit, sed virgo generavit... Ib. N. 56. Non enim virilis coitus vulvae virginis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit: solus

dere quod Dei Filius vere hanc nostram susceperit carnem, hoc nostrum corpus, hanc nostrorum membrorum fragilitatem; cum utique passio corporis fuerit, divinitas exsors iniuriae manserit... Ibi. Lib. VII. N. 109. ... Quis enim tantus homo, in quo omnium peccata morerentur? Idcirco Filius Dei a Deo Patre electus est, qui cum supra omnes homines esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, ut cum esset fortior morte, alios liberaret.

DE TRINITATE. (Migne. XVII. Vol. IV. Col. 552. 553).

Ob hoc ergo misterium Filius Dei Christus vocatur; quod tamen nativitatem eius secundum carnem, passionem mortemque significat: sed ista mirabilis et singularis nativitas qua Christus genitus est, et de Spiritu Sancto et de Maria Virgine facta est, sicut Fides sancti symboli testatur... Vera ergo caro ex Virgine suscepta, vera crucifixum, vera sepulta, vera est post tertiam diem resuscitata... Ut coniunctione Verbi et hominis a prima informatione perfecte Christus mediator Dei et hominum nasceretur sine fraude humanitatis, sine corruptione deitatis exoriens... Non ergo inter Verbum et assumptum ab eo hominem aliqua separatio dicenda est, quia ex duabus naturis, id est divina et humana, mistica ratione compositis, unum Christum Filium Dei confitemur. Ibidem. Col. 569. Comedit ergo Dominus post Resurrectionem ut veritatem corporis ostenderet, ut dubitantes Apostolos confirmaret, qui eum spiritum ac phantasma putabant. Ibidem. Cap. 28. Col. 570. Sicut ergo veram carnem Dominus suscepit et vere passus est et vere resurrexit, manus et latus ostendit discipulis.

DE FIDE. (Migne Tomo XVI. Libro I. Cap. XII. 77).

Non sola admirabilis ex Patre generatio Christi, admirabilis etiam et ipsa generatio eius ex Virgine.

Ib. Lib. II. Cap. VII. Dominus maiestatis crucifixus est, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus, sed quia idem Deus, idem homo, per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Jesus Christus; Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturae, id est humanae atque divinae in natura hominis subiit passionem; ut indiscrete et Dominus maiestatis dicatur esse qui passus est et Filius hominis, sicut scriptum est: qui descendit de celo (Ivan. III. 13). Ib. Cap. VIII. Denique et in carne constituto angeli ministrabant;

ut nihil eum agnoscas per naturam corporis imminutum: neque enim Deus sui potuit pati detrimentum, cum id quod assumpsit ex Virgine, nec accessio divinae nec diminutio potestatis sit... Per naturam hominis dicit etiam illud: Quoniam Pater maior me est... Non est ergo secundum divinitatem minor... Lib. II. Cap. VIII. Aliud munus e terris, aliud munus e coelis, et utrumque unus in utroque perfectus, et sine mutabilitate divinitatis et sine humanae immutatione naturae.

EX. S. AUGUSTINO (Migne, P. L. 32. 47).

Contra sermonem Arianorum. Num. 7. in Maria moriturum corpus peperit. Deus autem immortalem Filium genuit. Ergo mors Christi non diminutio est divinitatis, sed depositio corporis. Sicuti enim generatio eius ex Virgine, non fuit corruptio Deitatis ipsius, sed susceptio corporis; ita et in morte eius non fuit passio divinitatis ipsius.

Verba sequentia ex Cap. VIII, refert Leo ad verbum in Epistola. Ipse namque unus Christus et Dei Filius semper natura et hominis filius qui ex tempore assumptus est gratia, nec sic assumptus, ut prius creatus postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Ac per hoc propter istam unitatem personae in utraque natura intelligendam et Filius hominis dicitur descendisse de coelis, quamvis sit ex ea quae in terra fuerat Virgine assumptus; et Filius Dei dicitur crucifixus et sepultus, quamvis haec non in divinitate ipsa qua est Unigenitus Patri coeternus, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Nam Filium hominis descendisse de coelo, ipsum dixisse sic legimus; nemo ascendit in coelum nisi qui de coelo, descendit, Filius hominis qui est in coelo (Joan. III, 13). Unigenitum vero Filium Dei crucifixum et sepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur. Unde est et illud Apostoli; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (I, ad Cor. II, 8). Hanc unitatem personae Christi Jesu Domini nostri, sic ex natura utraque constantem, divina scilicet atque humana, etc.

CAP. IX. Et ideo sic intelligendus est geminae substantiae, divinae scilicet et humanae, ut ipsa humana ex anima constet et carne... Miror quod nolint consentire, propter hanc humanam quomodo cunque naturam dici potuisse, Pater major me est; non propter illam de qua dictum est: Ego et Pater unum sumus.

COLLATIO CUM MAXIMINO, *Num.* 14. Ego autem dico, imo catholica fides quam cum Ecclesia Christi teneo, D. N. J. C. sic factum esse Verbum carnem, ut nulla de humano genere et de humana carne contagia pateretur... Denique caro in illo mortua est, non ipse mortuus est quantum ad divinitatem attinet, qua aequalis Patri.

DE TRINITATE. *Lib. I. Capo. VII.* Neque enim sic accepit formam servi ut amitteret formam Dei, in qua erat aequalis Patri. Si ergo ita accepta est forma servi, ut non amitteretur forma Dei, cum et in forma servi et in forma Dei idem ipse sit Filius Unigenitus Dei Patris, in forma servi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; quis non intelligat quod in forma Dei etiam ipse seipso maior est, in forma autem servi etiam seipso minor est... Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus et utrumque homo; sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est; nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas; nec creatura in divinitatem, ut desisteret esse creatura.

CAP. VIII. Quod, si aliqui et hoc affirmant, quod iam fuerit in Dei substantiam mutatus homo Christus Jesus; illud certe negare non possunt, quod adhuc natura hominis manebat, quando ante passionem dicebat: Quoniam Pater maior me est: unde nulla cunctatio est secundum hoc dictum esse, quod forma servi maior est Pater, cui in forma Dei aequalis est Filius.

CAP. IX. Secundum formam Dei, omnia per ipsum facta sunt: secundum fermam servi, ipse factus est ex muliere, factus sub lege (Gal. IV, 4). Secundum formam Dei ipse et Pater unum sunt (Joan. X, 30): secundum formam servi, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui eum misit (Joan. VI, 38).

*Libr. X. II. CAP. XIV.* Unde se dicit in psalmis in mortuis liberum (Psal. 87, 6). Solus enim a debito mortis liber, est mortuus... Ideo autem illum esse opus erat et hominem et Deum. Nisi enim homo esset, non posset occidi: nisi Deus esset non crederetur noluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit; nunc vero humana pro nobis passus est, quia homo erat; sed si noluisse, etiam hoc non pati potuisset quia et Deus erat.

CAP. XV. Tunc enim sanguis ille, quoniam eius erat qui nullum

habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fuisse peccatorum, ut quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito poena mortis affecit.

CAP. XVI. *Num. 21.* In morte Christi nec de divinitate eius aliquid imminutum est, aut mutatum est de humanitate suscepta; tantum beneficium collatum est hominibus, ut a Dei Filio sempiterno eodenque hominis Filio mors temporalis indebita redderetur, qua eos a sempiterna morte debita liberaret. Peccata nostra diabolus tenebat et per illa nos merito figebat in morte. Dimisit ea ille qui sua non habebat... Iustificati in sanguine ipsius in eo plane quod a peccatis omnibus liberat; liberati autem a peccatis omnibus quoniam pro nobis est Dei Filius, qui nullum habebat, occisus... Altero autem secundo Adam, qui non homo tantum, sed etiam Deus est, quo pro nobis solvente quod non debebat, a debitibus et paternis et propriis liberati sumus.

CAP. XVIII. Oportebat itaque ut ista carnalis concupiscentia nulla ibi esset omnino, quando concipiebatur Virginis partus, in quo nihil dignum morte fuerat inventurus, et eum tamen occisurus, auctor mortis, auctoris vitae morte vincendus: amittens genus christianum per eum qui non erat in crimen, quanvis esset ex genere. Qui enim victus est, homo tantum erat; qui autem vicit et homo erat et Deus.

EPISTOLA 187. *Num. 6.* Et putamus nobis de omnipotentia Dei incredibile aliquid dici, cum dicitur Verbum Dei per quod omnia facta sunt, sic assumpsisse corpus ex Virgine, et sensibus apparuisse mortaliibus, ut immortalitatem suam non curruperit, ut aeternitatem non mutaverit, ut potestatem non minuerit, ut a sinu Patris non recesserit.

CAP. III. Nunc vero inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utranque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.

*Num. 11.* Nam sicut in unitate personae anima unitur corpori ut homo sit; ita in unitate personae Deus unitur homini ut Christus sit.

*Num. 12.* Verbum igitur Dei idemque Dei Filius, Patri coeternus suscepit hominem, seque et illo fecit unum Jesum Christum, mediatorem Dei et hominum, aequalem Patri secundum divinitatem, minorrem autem Patre secundum carnem, hoc est secundum hominem; incommutabiliter immortalem secundum aequalem Patri divinitatem, eundemque mutabilem atque mortalem secundum cognatam nobis infirmitatem.

EPISTOLA 164. Num. 19. Sumpsit enim ex Virgine veram quidem carnis substantiam; non tamen peccati carnem.

EPISTOLA 238. Num. 17. Filium autem hominis eundem dicimus quem Filium Dei,... in qua est aequalis Deo Patri, sed propter acceptam formam servi, qua minor est Patre. Et quia eundem Filium hominis dicimus, propter hoc et Filium Dei crucifixum fatemur, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate humanitatis; non ex suae naturae permansione, sed ex nostrae susceptione.

SERMONE 152. Num. 8. Cetera ergo omnium hominum caro, caro peccati: sola illius, non caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit. Tamen habens similitudinem carnis peccati unde et nutriri et esurire et sitire et dormire et fatigari et mori potuit.

SERMONE 174. Verbum Dei, unicus Dei Filius assumpsit animam et carnem hominis omnino gratis. Nihil enim praecessit illam susceptiōnem: susceptione factus est. Virgo concepit: ante conceptum virginis homo mediator? Virgo concepit et susceptione hominis inde coepit.

SERMONE 183. Explicans verba Petri: « Tu es Christus Filius Dei vivi ». Qui haec confitebantur vel confitentur, Jesum Christum plusquam hominem non neverunt. Si autem Jesum Christum plusquam hominem non neverunt, Jesum Christum utique non neverunt. Si enim tantummodo homo est, et nihil amplius, non est ipse Jesus Christus. Ecce habes confessionem veram, confessionem plenam. Iungere enim debes utrumque; quod de se Christus et quod de Christo Petrus. Quid de se Christus? Quem me dicunt homines esse Filium hominis? Quid de Christo Petrus? Tu es Christus Filii Dei vivi. Utrunque coniunge et venit Christus in carne. Hoc de se Christus quod minus est, hoc de Christo Petrus quod maius est.

CAP. IV. Sic se exinanivit, formam servi accipiens, non formam Dei amittens. Forma servi accessit, non forma Dei discessit.

SERMONE 186. Idem Deus qui homo et qui Deus idem homo: non confusione naturae, sed unitate personae... Nam quomodo in Regula fidei confiteremur credere nos in Filium Dei, qui natus est ex Virgine Maria, si non Filius Dei, sed Filius hominis natus ex Virgine Maria?... Confitendum est igitur eum qui Filius Dei erat, ut de Virgine Maria nasceretur, assumpta forma servi, Filium hominis factum, quod erat manentem, quod non erat assumentem.

SERMONE 189. Natus est de Maria Virgine. Mirabiliter natus.

Quid mirabilius Virginis partu? Concipit et Virgo est; parit et Virgo est.

SERMONE 190. Debemus enim fide catholica retinere duas esse nativitates Domini; unam divinam, alteram humanam; illam sine tempore, hanc in tempore... Annuntiemus in gentibus gloriam eius. In praesepe iacet, sed mundum continet: ubera sugit, sed angelos paſcit: pannis involvitur, sed immortalitate nos vestit; lactatur, sed adoratur: locum in diversorio non invenit, sed templum sibi in credentium cordibus facit.

SERMONE 237. Ego dico: Verbum, Spiritus, Corpus: Deus et homo. Si duo nolo dicere, si duas res nolo dicere, isto utor compendio; Deus et homo. Et verus Deus et verus homo. Nihil falsum in humanitate, nihil falsum in divinitate.

SERMONE 238. Tene contra omnes omnium insanias cogitationes, tene quod accepisti, alioquin periisti: Christus verum Verbum Unigenitum, aequalis Patri, Deus, humanus spiritus, vera caro sine peccato; haec mortua est, haec resurrexit, haec peperit in ligno, haec iacuit in sepulcro, haec sedet in coelo. Volebat Dominus Christus persuadere discipulis quia illud quod videbant, ossa et caro erant. Cum ergo tetigissent pedes, manus, carnem, ossa, adiecit Dominus et ait; habetis hic aliquid quod manducetur, ut etiam communicato cibo probaretur verus homo... Tollite veram carnem, non erit vera passio, non erit vera resurrectio.

SERMONE 262. Dominus Jesus, Patris unigenitus et dignissimi coaeternus, pariter invisibilis, pariter immutabilis, pariter omnipotens, pariter Deus, propter nos factus est homo, forma assumpta humana, non amissa divina... ille die tertio resurrexit, exhibuit se discipulorum oculis videndum, manibusque tractandum; persuadens quod factus erat, non auferens quod semper erat.

SERMONE 264. *Num. 2.* Ad eorum confirmationem dignatus est post resurrectionem vivere cum illis quadraginta diebus integris; confirmans hoc redditum esse oculis eorum post resurrectionem, quod ablatum erat per crucem.

ENCHIRIDION DE FIDE, SPE ET CHARITATE. *Cap. XXXV.* Nunquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium praestitum est, cum singulariter promeretur Deum? Nempe ex quo homo coepit, non aliud coepit esse homo quam Dei Filius.

## EX CASSIANO DE INCARNATIONE (Migne P. L. Vol. L).

Libro I. Capo V. ... nostrum namque est credere, illius nosse. Ac sic ipse Deus Verbum, totum suscipiens quod est hominis, homo sit; et assumptus homo totum accipiendo quod Dei est, aliud quam Deus esse non possit. Non tamen quia incarnatus dicitur, et immixtus, diminutio eius est accipienda substantiae; novit enim Deus sine sui corruptione misceri; novit in se ita suspicere, ut nihil ei crescat augmenti, sicut seipsum totum novit infundere, ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostrae, secundum experimentum visibilia documenta facientes conjecturam de aequalibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, et tali confusione carnis et Verbi quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodammodo genere duas naturas in unam redactas arbitremur esse substantiam; huiusmodi enim commixtio partis utriusque corruptio est. Deus enim, qui capax non capabilis est, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui ubique simul totus est, et ubique diffusus est, per infusionem potentiae suae misericorditer naturae est mixtus humanae. Nascitur ergo nobis proprie de Spiritu Sancto et Maria semper Virgine Deus homo Jesus Christus Filius Dei. Ac sic in alterutrum unum fit Verbum et caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia, sine sui praeiudicio et humanitati divina communicent et divinitati humana participant. Nec alter Deus, alter homo, sed idem ipse Deus qui et homo; et vicissim homo qui et Deus, Jesus Christus, unus Dei Filius nuncupetur et vere sit ideoque una persona accipienda est carnis et Verbi, ut fideliter sine aliqua dubitatione credamus unum eundemque Dei Filium, inseparabilem semper geminae substantiae et vere semper omnia gessisse quae sunt hominis, et vere semper possedisse quae Dei sunt.

Haec citat Cassianus ex « Libello Emendationis Leporii » (Migne P. L. Vol. XXXI) ad episcopos gallicanos; at haec eadem Sanctus Leo Sancto Augustino tribuit ex libro « Assertio fidei », inter testimonia Patrum quae Epistolae addiderat. Theodoreus (Migne P.L. Vol. 83. Col. 210) in fine dialogi « Inconfusus » et ipse haec S. Augustino ex eodem libro, Leonem sequens, ut videtur, tribuit. Vide Dict. Theol. fac, 71, col. 434. Sed in operibus S. Augustini haec non inveniuntur.

Libro II. Capo VII. ... idem ergo in terris fuit, qui et in coelis; idem in humilibus, qui in excelsis; idem in hominis exiguitate, qui in Dei maiestate.

Libro III. Capo V. ... ne scilicet per alterutrum blasphemiae perversitate Dominus Jesus Christus aut homo poenitus sine Deo, aut Deus sine homine credatur.

Libro III. Capo X. .... Dominum maiestatis sermo divinus crucifixum a principibus huius saeculi dicit... immuta hoc si potes, separa nunc si vales, Jesum a Deo. Crucifixum certe a Judeis Christum negare non potes. Sed Dominus maiestatis est qui crucifixus est. Ergo necesse est aut Christum affixum esse in cruce deneges, aut Deum affixum esse fatearis.

Libro III. Capo XV. ... hoc etiam tibi clamo: Christus Deus est, Christus Deus est, aliud mens sana non sentit, aliud fides sana non loquitur, divelli a se divinitas non potest. Et cum utique quidquid est Christus Deus sit, inveniri in Deo aliud non potest quam Deus.

Libro IV. Capo VII. ... incunctanter et Filius hominis e coelo descendisse et Dominus maiestatis crucifixus esse dicendus est; quia secundum suscepti corporis sacramentum, et Filius Dei factus est Filius hominis, et in Filio hominis crucifixus est Dominus maiestatis.

Libro V. Capo VI. ... neque enim in naturam cadere impassibilem res ulla potuit passionis, aut mori aliter quam homo; et tamen idem qui in sequentibus mortuus dicitur, superius imago Dei invisibilis praedicatur. Quomodo ergo et hoc? Scilicet quia id omni modo ab Apostolis cautum est ne aliqua videretur in Christo esse divisio et unitus in Filio hominis Filius Dei inciperet per erraticas interpretationes duas habere personas.

Libro V. Capo X. Fides ergo haec tantum catholica, haec tantum vera est, Dominum Jesum Christum sicut Deum ita et hominem, et sicut hominem, ita et Deum credere. Omnis qui solvit Jesum, ex Deo non est. Solvere autem hoc est, quod unitum est in Jesu velle rumpere et quod individuum separare. Qui autem in Jesu unitum et individuum? Homo utique et Deus. Ergo ille Jesum solvit qui haec separaverit atque disrupterit.

Libro VI. Capo XVII. Non credens ergo in carne editum, necesse est etiam passum esse non credas. Non credens autem illius passionem,

quid reliquum est, nisi etiam resurrectionem neges, quia fides suscitat ex fide mortui est.

Libro VI. Capo XIX. Hoc enim quod ex carne atque in carne venit, ortus eius fuit, non imminutio: et natus tantum est, non demutatus. Quia licet in forma Dei manens formam servi assumpserit, infirmitas tamen habitus humani non infirmavit naturam Dei: sed incolui utique atque integra divinitatis virtute, in carne hominis totum quod actum est, profectus fuit hominis non defectio maiestatis.

Libro VI. Capo XXII. Se ita omnibus scriptis sacris Dominicum hominem connectit Deo atque concorporat, ut nec in tempore admodum hominem quis a Deo, nec in Passione possit Deum ab homine discernere. Si enim ad tempus respicis, invenies semper Filium hominis cum Filio Dei. Si ad Passionem, invenies semper cum Filio hominis Dei Filium... Sed et Apostolus si ad Passionem respicit, maiestatis Dominum crucifixum esse designat. Si enim, inquit, cognovissent nunquam Dominum maiestatis crucifixissent. (I Cor. II.) Et ideo etiam Symbolum Unigenitum et Primogenitum Dominum Jesum Christum Deum verum ex Deo vero... natum ex Virgine et crucifixum, postea et sepultum esse testatur... ac licet nec homo iniustificabilis, nec Deus passibilis dici debeat, in uno tamen Domino Jesu Christo et homo perpetuus, et Deus mortuus praedicatur.

Libro VII. Capo. I... ita Te ex sacrosancto illo Immaculatae Virginis utero editum mundo, verum hominem esse intelligent, ut verum tamen Deum semper fuisse cognoscant.

Libro VII. Cap. 12. Atqui demon sciebat utique Dominum Jesum Christum ex Maria Natum esse, sciebat pannis obvolutum in praesepio positum, pauperem eius inter humana exordia parvitatem fuisse et egenam etiam legitimis incunabolorum ministeria infantiam...

EX FAUSTINO PRESB. DE TRINITATE. Cap. III. Si ergo in sacramento fidei hoc accepimus ut Christum Deum credamus et hominem; non calumnientur divinitati eius cum pro nostra medela quae sunt hominis exequitur, habens in se acceptam hominis naturam; quia nec homo negandus est cum propriae divinitatis naturalem exerit potestatem, accepta in se forma servili... Sed et quod minor factus est, quod crescit, quod proficit, quod esurit, quod sitit, quod laborat, quod flet; quod dolet, quod tristis est, postremo quod moritur: ad naturam assumpti hominis referendum est... (Migne. P. L. vol. XIII).

EX DAMASO PAPA. Fragm. (Migne. P. L. vol. XIII. col. 350).

Eundem redemptionis nostrae gratia processisse de Virgine; ut perfectus homo pro perfecto qui peccaverat homine nasceretur. Ergo, fratres, asseramus Dei Filium et perfectum hominem suscepisse.....

Col. 552. Nos autem qui integros ac perfectos salvatos nos scimus, secundum catholicae Ecclesiae professionem, perfectum Deum perfectum suscepisse hominem profitemur.

In Ep. ad Paulinum. Col. 557. Confitendus ipse Sapientia, Sermo Filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, idest integrum Adam et, ut expressius dicam, totum veterem nostrum, sine peccato, hominem. Sicuti enim confitens eum humanum corpus suscepisse, non statim ei et humanas vitiorum adiungimus passiones...

#### EX VINCENTIO LIRINENSI

(Migne. P. L. Vol. 50. Comm. I. Col. 656).

Et unum Christum Jesum, non duos, eundemque pariter Deum atque hominem Ecclesia Catholica confitetur. Unam quidem in eo personam... Ita igitur in uno eodemque Christo duae substantiae sunt; sed una divina, altera humana, una ex Patre Deo, altera ex Maria Virgine; una coeterna et aequalis Patri, altera consubstantialis Matri... Idem perfectus Deus, perfectus homo...

Ibidem. Col. 657. Catholica vero Fides ita Verbum Dei hominem factum esse dicit ut quae nostra sunt non fallaciter et adumbrate, sed vere expresseque susciperet et quae erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potius ut sua gereret; et prorsus quod agebat, hoc etiam esset. Beata Ecclesia quae in Christo duas veras perfectasque substancialias, sed unam Christi credit esse personam, ut neque naturarum distinctio unitatem personae dividat, neque item personae unitas differentiam confundat substancialium. Beata inquam Ecclesia quae hanc unitatem personae tantam vim habere praedicat, ut propter eam miro ineffabilique mysterio et divina homini et Deo adscribat humana. Nam propter eam et hominem de coelo secundum Deum descendisse non abnegat, et Deum secundum hominem credit in terra factum, passum et crucifixum. Propterea denique et hominem Dei Filium et Deum filium Virginis confitetur.

---

---

## Quaestio Litteraria

---

Sicut notas textui subscriptas consideranti appetet, Leonis Epistola non solum plurima quae affinitatem habent cum Sermonibus continet, sed insuper plures integras periodos quae e verbo in illis inveniuntur; ita ut quae prius simplici maiestate una flatura videbatur conscripta, deinde tamquam opus musivum sapienter quidem, sed frigide compositum appareat. Quod quidem eius pretium aestheticum minuere potest; pretium vero theologicum integrum relinquit. Obscuritate sua quaestio animum pulsat: vel enim Epistola a Sermonibus fluit, vel Sermones ab Epistola dependent.

Rationibus psicologicis, difficilius nobis persuasum erit Oratorem ex eodem breviori documento in diversis Sermonibus locos sumpsisse et quidem ad verbum expressos; haec enim haud bene conveniunt genio et animo Oratoris quem dicendi vena premit. Sed dices sermones antea compositos et scripto consignatos fuisse, deinde ore prolatos; vel etiam subiunges sermones qui politissima forma exstant, non semper eadem propria expolita forma prolatos esse qua ad nos deinde pervenerunt. Confiteor quaestiones hujusmodi nonnisi probabiles solutiones recipere, quamvis difficultatem ingerat occupatissimum Leonem fingere, qui sermones suos tali modo componat, sicut illis licet quibus longiora otia concessa fuere.

Probabilius igitur Epistolam composuit Leo in eam locos ex sermonibus ingerens de verbo ad verbum. At obstat otii defectus et etiam character Epistolae quae ut opus continuum, una flatura videtur composita, simplex, elegans, dogmatica unitate pervasa, ita ut passus illos e suo naturali situ abstractos suum locum tam connaturaliter per manus Leonis in Epistola invenisse difficulter asseras.

Et quidem si nec Sermonum ex Epistola, nec Epistolae ex Sermo-

nibus dependentia adprobari potest quoadusque tamquam fructus laboris exclusive personalis Leonis habentur, nonnisi tertia hypothesis suppetit, secretarium nempe aliquem scriptis Leonis conficiendis et maxime exarandis operam impedisce, in quibus usitatum invenimus plura repetere vel transcribere, sicut cuique scriptis eius vel leviter familiari evidens omnino est. Ad secretarium enim pertinet illa quae Orator protulit, breviatis signis scripto consignare et deinde tranquilliter expolire, fideliter iis servatis quae propria Oratoris sunt; vel etiam sensus domini sui vel scripto, vel viva voce prolatos in Epistolis fideliter consignare, verbis ipsis quoad fieri potest servatis. Agimus siquidem non de mero scriba seu transcriptore, sed de viro qui Domino suo curis distento auxilium praestet, non manus tantummodo, sed et mentis.

Huic quaestioni I<sup>o</sup> traditio historica externa, quae hisce in rebus maximi momenti est, responsum praebet, nomen Prosperi suggesterens, et II<sup>o</sup> animadversiones quaedam ipsis scriptis inhaerentes et internae quas dicunt, traditioni confirmationem praestant.

### TRADITIO.

Gennadius « De Viris illustribus ». C. 84 (Migne. P. L. vol. 58)... « Epistolae quoque Papae Leonis adversus Eutichem de vera Christi Incarnatione ad diversos datae et ab ipso dictatae creduntur ». Gennadius igitur in Prosperum haud bene dispositus (scribit enim ibidem : Cassiani opuscula quae Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat noxia), illius coaevus, in ea provincia degens ubi explorata erant quae Prosperum spectabant, haec de illo refert.

ADO in Chronicon (Migne. P. L. Vol. 123. Col. 104) scribit: « Sed et Prosper Aquitanicae regionis, notarius beati Leonis, a quo dictatae creduntur esse epistolae adversus Eutichem de vera Incarnatione Christi, et libero arbitrio male sentientem ». Notandum Prosperum notarium Leonis fuisse, Ado de suo posuisse.

Marcellinus Illirici Comes, Prosperi suppar, in Chronicon (Migne P. L. Vol. 51. Col. 930) Gennadii verba excritibit.

Beatus Doct. Cardinalis Bellarminus, primus reclamat in libro « De descriptoribus ecclesiasticis »: Gennadius in libro DE VIRIS ILLUSTRIBUS scripsit epistolam illam celebrem sancti Leonis ad Flavia-

num contra Eutichem existimari a Sancto Prospero fuisse scriptam. At certe si ulla epistola sancti Leonis est, illa omnino est, sive stylum, sive doctrinam Leonis attendas. Bellarmino assenti Phil. Labbe. S. J. qui insuper proponit emendationem textus, litteram coniunctivam e suo loco transportans sequenti modo: *Epistolae quoque Papae Leonis adversus Eutichem de vera Christi Incarnatione et ad diversos datae, ab ipso dictatae creduntur.*

Putat Labbe hac correctione se subtarxisse epistolam ad Flavianum e numero illarum quas Prosper scripsit, sed Gennadii textus prout a Labbe emendatus adhuc epistolam ad Flavianum includere potest inter illas quarum Prosper est auctor. Coeterum Gennadius epistolam ad Flavianum non explicite nominavit et capite 70 sui Chronicon epistolam Leoni tribuit (col. 1100): « *Leo, urbis Romae episcopus, scripsit ad Flavianum, Constantinopolitanae Ecclesiae Episcopum, adversus Eutichem.* »

Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum 449, refert Marcellini et Gennadii sententiam subiungens « *Coeterum nonnisi sancti Leonis eam esse dixerim, etenim eandem dictionem quae est in epistola, utique recognosco in eiusdem sancti Leonis Papae sermonibus.* ». Attamen in notis ad Martirologium Romanum ad VII. Cal. Julii, Prospcri memoriae sacrum, fatetur famosissimam illam epistolam sancti Leonis ad Flavianum ab eodem Prospero scriptam ferri; quod non tantum, inquit, Gennadius, Onorius et alii Latinorum, sed et Marcellinus Comes testatur in Chronico. Et ipse nihil de suo addit aut opponit.

### RATIONES INTERNAE.

Hen. Norisius epistolam ad Flavianum Prospero adiudicat, cuius stylum deprehendisse sibi videtur etiam in epistola sancti Leonis (Epistola I) ad Aquilaeensem Episcopum: Novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se a damnatorum societate disreverint, nihil sibi sensum suorum existiment esse non salvum. His similia legimus in Prospcri libro « *Contra Collatorem* » (Migne P. L. Tom. 51. Col. 273) sub finem: Notum est ita falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat praetextae correctionis imagine, aliquod sibi faventium radicis suaem germen excipere, tota se possit in exigua sui parte reparare.

Antelmius inter alia tria tria sequentia suggerit:

I) Agnovimus QUOSDAM, pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, LUPOS OVIUM pellibus tectos in OVILE DOMINICUM, non depositis bestialibus animis, introisse.

II) Quoniam qui nullo sunt judicio suae professionis obstricti, hunc maxime expetunt fructum, ut sub veleno communionis plures domos adeant, et per falsi nominis scientiam MULTA CORDA corrumpant.

III) Ne ERGO hoc ulterius... neve PER QUORUNDAM NEGLIGENTIAM introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum... nunc saltem postea quam HYPOCRISIS eorum ex quadam parte DETEGITUR....

Sed jam directe inspiamus utrum affinitates inter epistolam ad Flavianum et Prosperiana scripta inveniantur.

#### EX EPISTOLA ad Flavianum.

I) Lectis dilectionis tuae litteris, QUAS, ect. Et quae prius videbantur OCCULTA nunc nobis RESERATA patuerunt.

II) Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum aa cognoscendam veritatem aliquo IMPEDIUNTUR OBSCURO, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas AUCTORITATES...

I) Gratiam Dei QUIDAM dicere audent, et quorum intus interstrepens domestica malignitas, non minus spernenda esset... nisi, electis extra OVILE DOMINICUM LUPIS sub nomine OVIUM suffragarentur. (Cap. Cont. Collatorem.).

II) Siquidem habentes speciem pietatis in studio, cuius virtutem diffidentur in sensu, trahunt ad se MULTOS ineruditos et non habentia spiritum discretionis CORDA conturbant.

III) NON ERGO NEGLIGENDUM est hoc malum, quod ab occultis pravisque augetur quotidie..... Sed studendum est in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum DETEGATUR HYPOCRYSIS.

#### EX ALIIS Prosperianis EXCERPTIS.

I) Consideratis definitionibus tuis, non est OCCULTUM, quantum, etc. (Con. COLLAT. c. 33.).

RESERATIS definitionibns tuis, QUAS hactenus, ect. non obscurum, neque ambiguum est. Ibid. c. 39.

II) Sicut qui Sanctum atque APOSTOLICAM doctrinæ tuae AUCTORITATEM antea sequebantur intelligentiores... ita qui persuasionis suae IMPEDIEBANTUR OBSCURO, aversiores recesserunt. Ex epistol. ad August. initio.

III) Nec volens ad promerendum intelligentioe lumen in SS. Scripturarum LATITUDINE laborare.

IV) Quibus tribus sententiis OMNIUM haereticorum MACHINAE destruuntur. Cum enim ect...

III) Ad revelatae nos gratiae LATITUDINEM conferamus. Resp. ad Objet. 8 Gall.

IV) Huius sententiae soliditate, OMNIA HOSTILIUM reliquiarum MACHINAMENTA confregeras. cont. Collat. c. 33.

IV) Tunc hostilium MACHINAE fractae sunt, ect. Ibid. c. 41.

Examini subiiciamus caput secundum epistolae illud conferentes Prospcri scripto poetico:

Ex Ep. ad Flav.

Quae nativitatis temporalis illi nativitati Divinae NIHIL MINUIT, nihil contulit, sed totum se reparando homini qui erat deceptus, impendit. Ut et mortem vinceret et DIABOLUM, qui MORTIS habebat imperium, sua virtute destrueret.

Ex script. Poet. Prosperi. De Incarn.

Quod genus humanum prostratum fraude maligni,

Ad vitam hac fecit posse redire via;  
Natura ut nostra Christus causaeque Redemptor

Mortalis fieret, NON MINUENS quod erat;

Perque habitum servi vacuaret iura TIRANNI,  
et LETUM leto vinceret innocuo.

Nam quis ventura quemquam salvabit ab ira,

Quive hominis primi crimine liber erit,

SI Deitas NON nostrae est insita carni,

Aut Christus falsi corpori umbra fuit?

Ex scriptis Prosperianis.

Audet quisquam PERSPICUAE SINCERISSIMAEQUE sententiae nubem obliquae ambiguitatis obtendere. (Cont. Coll. in fine.

Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem NISI naturam nostram nostram ille susciperet et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere.

Ex Epistola.

Sed si de hoc christiana fonte purissimo SINCERUM intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuae veritatis obcoecatione propria nebraratur...

Ad propheticas quoque paginas piam sollicitudinem CONTULISSET et inveniens PROMISSIONEM Dei ad Abraham DICENTIS: IN SEMINE

AD revelatae nos gratiae latitudinem CONFERAMUS, dicamusque... Audiamus quoque ad Abraham PROMISSIONEM DEI DICENTIS: IN SEMINE

TUO BENEDICENTUR OMNES GENTES. Et ne de huius seminis proprietate dubitaret, sequutus fuisset Apostolum dicentem: ABRAHAE DICTAE SUNT PROMISSIONES ET SEMINI EIUS.<sup>5</sup>

*Sed non ita nobis intelligenda est illa generatio singulariter mi MIRABILIS et mirabiliter singularis...*

TUO BENEDICENTUR OMNES tribus terrae. Et si filii promissionis sumus non haesitemus diffidentia, sed cum patre nostro Abraham demus gloriam Deo et plenissime credamus... (Resp. ad Gal. 8).

Beatissimo Papae ineffabiliter MIRABILI, incomparabiliter honorando... Ineffabiliter MIRABILIS... ET INCOMPARABILITER... (Ex Ep. ad Aug. init. et fine).

Et alia huiusmodi quae notamus in Epistola ad Flavianum bene conspicimus etiam in aliis epistolis Leonis, quasdam nempe dicendi rationes Prospero proprias; ita ut digna appareat ex internis criteriis quae credatur externa traditio affirmans Prosperum notarium Leonis fuisse.

Epistola (XXXI. Leonis) ad Pulcheriam Augustam Leo haec habet: « Augustissimus vero et Christianissimus Imperator cupiens quam celeriter turbata componi, etc... ». Prosper vero in Epistola ad Augustinum: « ... quasi hoc specialiter studueris ut quae apud nos erant turbata componeres ». In peroratione contra Coll. ...: donec Dominus per Ecclesiae Principes quae sunt turbata componat.

Et iterum Leo ad Pulcheriam: « Siquidem perfecta confessio quae duodecim Apostolorum est signata sententiis, tam instructa sit munitione celesti ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari... Quibus respondent ea quae Prosper habet cap. 41 cont. Coll.: « ... quando Africanorum Conciliorum decretis, beatae recordationis Papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit, et ad impiorum detrunctionem gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum ». Et adhuc Prosper in Ep. ad Rufinum in eundem sensum de Augustino loquens: « Habens etiam hanc scientiae et sapientiae, ex Dei charitate, virtutem ut non solum istam adhuc in suis detrunctionibus palpitantem, sed etiam multas prius haereses invicto verbi gladio debellares... ».

Si spatium et tempus suppeterent, esset nunc inter Leonis sermones et Prosperi scripta comparatio statuenda, ex qua sat probabilis, ex internis criteriis, appareret veritas traditionis externae affirmantis,

Prosperum nempe a secretis Leoni fuisse et eius sermonibus exarandis operam impendisse.

Si spatium et tempus suppeterent, dixi, huiusmodi enim quaestiones quasi inductiva methodo solvuntur: quo plura congeruntur indicia in favorem thesis, eo magis eius probabilitas crescit.

En specimen unum ex Antelmo: Serm. 27 de Nativ. « Multa sunt et alia prodigia falsitatum... Sed post diversas impietas, quae sibi invicem sunt multifornium blasphemiarum cognitione connexa, etc. ». Serm. 21. « ... absit impia superstitione prodigiosumque mendacium ». Serm. 74 de Pent. « Donec prodigiosus turpium mendaciorum signifer nasceretur ».

Prosper in Praefatione ad Obiectiones Vincentianas: Comprehendunt et contextunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia ». Moxque « afferentes talia esse in nostro sensu qualia diabolico continentur indiculo ». Et Leo (Ep. 77) « Quae diabolorum sensuum prodigiosa commenta... ». Quasi fatale esset, utrique scriptori nuspam mendacii mentionem habuisse, quin illi prodigiosi subiungeretur epithetum; nec nisi falsitatum prodigia, aut blasphemiarum connexiones, aut tandem diabolicos sensus, uno utrinque exhibere conspectu, quodam sacramentuo conventum esset. Sunt hae ita selectae, ita nervosae, ita meditatione vexationeque, ut ita dicam, obstinata, proculsa, ut nonnisi unius genio partae, nec nisi calamo labi posse, eodem tempore, videantur. Unde et in his saltem Sermonibus componendis, vel post compositionem eliminandis et ampliandis, operam Prosperi desideratam, aut eius aliquando studium accessisse, nullus fortassis infitiabitur (ex Antelmo).

Forsan hac via, cur plura inveniantur in Epistolis dogmaticis quae adsunt etiam in Sermonibus, ratio redderetur.

Planius explicatu esset cur Gennadius de Leonis sermonibus nihil dicat; non iam quod eos non legerit, sed quia in ipsis Prosperi manum agnovit.

Item mysterio vacaret silentium quo Anastasius bibliothecarius Romanus, minora quae ad Leonem pertinet enumerans e. g. eius donaria, premit illius ingenii monumenta: « Direxit fidei catholicae Thomum et exposuit damnans omnes haereses; multas epistolas fidei misit archiepiscopis, quae hodie recondita in Archivio tenantur ». De sermonibus vero ne verbum quidem.

Idem dicas de Gelasio Papa, qui post annos circiter triginta a Leone Summo Pontificatu potitus est, qui in suo canone librorum, in Concilio Romano 494, Leonis epistolam ad Flavianum commendat, sed de Sermonibus nihil scribit.

Gennadio teste in Chronicon c. 67: « Salvianus composuit homilias Episcopis multas ». A fortiori dicendum elegantissimos Leonis sermones ab episcopis quaesitos fuisse in exemplar praedicationis, etiam aliquando repetendos, quod, teste Antelmio nostro, facta minutiora in variis codicibus ecclesiasticis persuadent.

Ideo quae B. Bellarminus scribit in praefatione operi « de Scriptoribus Ecclesiasticis » Prospero adaptare forsan possumus. « Illud postremo admonendum esse censui, me in hoc catalogo non posuisse Pontifices Romanos, qui solas epistolas ediderunt, nisi quando probabile fuit, eas epistolas ab his vel dictatas fuisse, vel scriptas. Si quidem epistolae Pontificiae, ut plurimum, non partus sunt ingenii Pontificum, sed eorum qui ab epistolis illis sunt. Certe Sanctus Jeronimus, in Epistola ad Gerontium de monogamia, testatur se iuvisse Damasum Pontificem in cartis ecclesiasticis, et Orientis atque Occidentis Synodis consultationibus respondisse: ex quo intelligimus epistolas illas partum Jeronimi fuisse, non Damasi. Sanctus quoque Gregorius auctor est insignis epistolae quae sub nomine Pelagii II Pontificis habetur post quintam synodum generalem. Erat enim S. Gregorius S. Pelagii Papae diaconus, eunque iuvabat in cartis ecclesiasticis, ut Jeronimus Damasum. Constat etiam epistolam Alexandri III Pontificis ad Soldanum Iconii, non ab Alessandro, sed a Petro Blesensi fuisse compositam. Quod idem de multis aliis affirmare possumus ».

Liceat ergo rem verbis Tritemii concludere: « ... Hic (Prosper) B. Leonis quandam Papae Magni notarius fuit et multas in ejus persona epistolas dictavit ». Vel cum Tillemont, tom. 15. « Mémoires pour servir à l'Histoire Ecclesiastique »: In literis contra Eutichem de Incarnatione scribendis, aliqua pars Prospero concedenda, quamvis maxima pars Leoni tribuenda sit.

His igitur Epistola Dogmatica S. Leonis ad Flavianum sufficienter, pro viribus, illustravimus.



---

---

## Theses ex universa theologia excerptae

---

1. Deus, cuius existentia probatur in philosophia, est Deus personalis.
2. Omnis homo debet supremam Dei excellentiam agnoscere eique reverentiam exhibere, seu debet religionem profiteri.
3. Revelatio immediata Dei non repugnat.
4. Revelatio mysteriorum non repugnat.
5. Revelatio humano generi moraliter necessaria est respectu veritatum religiosarum et moralium ordinis naturalis, absolute vero necessaria est in hypothesi ordinis supernaturalis.
6. Miracula fieri possunt.
7. Miracula ut miracula certo cognosci possunt.
8. Miracula in confirmationem revelationis patrata, sunt certa revelationis signa.
9. Etiam vaticinia possunt esse criteria apta revelationis.
10. Quattuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Iohannem sunt genuina.
11. Evangelia substantialiter integra ad nos pervenerunt.
12. Scriptores Evangeliorum sunt fide digni.
13. Jesus Christus dixit se esse legatum divinum, et hoc eius testimonium fide dignum est.
14. Jesus Christus docuit integrum suam doctrinam omnibus hominibus necessario amplectendam esse.
15. Jesus Christus ad probandam legationem suam divinam provocavit ad miracula quae patravit.
16. Jesus Christus ad probandam legationem suam divinam multa opera patravit, quae vera miracula sunt.
17. Speciatim Resurrectio Jesu Christi a mortuis est verum miraculum et certum argumentum divinae legationis ejus.

18. Christus vaticiniis se probavit legatum divinum.
19. Jesus Christus probatur legatus divinus vaticiniis messianicis Veteris Testamenti.
20. Mirabilis modus quo doctrina Christi propagata est, divinitatem huius doctrinae comprobat.
21. In specie martyrium est confirmatio divinitatis religionis christiana.
22. Interna quoque criteria divinitatem doctrinae Christi suadent.
23. Christus ad doctrinam suam conservandam et propagandam instituit vivum magisterium apostolicum eique praerogativam infallibilitatis in tradenda doctrina sua contulit.
24. In collegio Apostolorum Christus primatum iurisdictionis contulit Petro.
25. Christus collegio Apostolorum contulit potestatem iurisdictionis et potestatem ordinis.
26. Christus instituendo collegium Apostolicum sub Petro primate cum potestate iurisdictionis et ordinis, factus est auctor societatis religiosae, hierarchicae, monarchicae, quam vocavit Ecclesiam suam.
27. Christus voluit ut Ecclesia a se fundata usque ad finem mundi permaneret.
28. Ecclesia est societas visibilis.
29. Ecclesia est societas perfecta.
30. Ecclesia Christi est unica.
31. Ecclesia Christi omnibus hominibus ad salutem consequendam necessaria est.
32. Quattuor sunt notae verae Ecclesiae Christi: apostolicitas, unitas, catholicitas, sanctitas.
33. Quattuor notae verae Ecclesiae soli Ecclesiae Romanae converniunt.
34. Successores collegii Apostolorum in magisterio et ministerio ecclesiastico sunt Episcopi.
35. Episcopi iure divino in suis dioecesibus habent iurisdictionem fori interni et externi et sunt magistri authentici; nihilominus singuli non sunt magistri infallibles, sed infallibilis est solum tota Ecclesia docens, idest collegium Episcoporum sub suo capite Romano Pontifice.

36. Romanus Pontifex est successor Sancti Petri in primatu.
37. Doctrina fidei infallibiliter proponitur cotidiano exercitio magisterii ecclesiastici, cum Episcopi per orbem sparsi, iuncti cum Summo Pontifice unanimiter docent quid firmo assensu tendendum sit.
38. Concilia oecumenica infallibiliter docent, non in solis canonibus contra haereticos factis, sed etiam in capitibus, quatenus in iis doctrinam omnibus tenendam proponunt, non vero quoad disputationes et argumentationes quae solum explicationis gratia adduntur.
39. Romanus Pontifex e cathedra loquens eadem infallibilitate pollet qua Ecclesia docens.
40. Ecclesia est infallibilis in definienda doctrina revelata.
41. Ecclesia est infallibilis in diiudicandis factis dogmaticis.
42. Ecclesia infallibilis est in decretis disciplinaribus, in approbatione ordinum religiosorum, in canonizatione Sanctorum.
43. Unanimis consensus Patrum in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.
44. Etiam unanimis consensus Theologorum in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.
45. Sacra Scriptura habet semper sensum litteralem.
46. In Sacra Scriptura adest sensus qui dicitur typicus.
47. Libri Sacrae Scripturae Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum auctorem habent.
48. Deus eo factus est auctor Sacrae Scripturae, quod Scriptores Sacros supernaturali virtute ita ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent.
49. Universale et sufficiens Divinae inspirationis criterium est Sacra Traditio, neque tamen ut inutilia resilienda sunt criteria interna.
50. Inspiratio ita extenditur ad omnes res et sententias Scripturae, ut omnia vi inspirationis infallibiliter vera sint, etsi non omnia eodem modo vera; ad verba autem materialia ita exten- ditur, ut non quidem singula ab eo sint dictata, sed eo modo a scriptore electa, quo Deus voluit.

51. Sacra Scriptura non est unicus fons revelationis, sed alter fons est Sacra Traditio.
52. Cum S. Scriptura in plurimis rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianaे pertinentium non satis clara sit, interprete eget, Ecclesia nempe, cuius est iudicare de vero sensu S. Scripturae. Is ergo pro vero sensu S. Scripturae habendus est, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia.
53. Nemini licet contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam S. Scripturam interpretari.
54. Admitti nequit tamquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet S. Scripturae libros qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie literali seu historica verborum significatione alienum.
55. Citationes tacitae vel implicitae documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserita omnia auctor inspiratus minime adprobare, aut sua facere intendit, quaque ideo ab errore immunia haberi non possunt, admitti non debent; excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1º Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2º eadem nec probare, nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.
56. Pentateucus Moysem habet auctorem.
57. Narrationes, quae in tribus prioribus Geneseos capitibus continentur, obiectivae realitati et historicae veritati respondent; hinc varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum praedictorum capitum excogitata sunt, solido fundamento carent.
58. Psalterii totius unicus auctor David non est necessario habendus; tamen praecipuus Psalterii carminum David est auctor.
59. Plures agnoscendi sunt psalmi propheticci et messianici de Christo.
60. Vaticinia quae leguntur in libro Isaiae sunt veri nominis vaticinia.
61. Evangeliorum Synopticorum ad invicem similitudines et dissimilitudines libere explicari possunt, vel per hypothesim traditionis, sive scriptae, sive oralis, vel etiam dependentiae

- unius a praecedenti sen a praecedentibus, non vero per hypothesisim, quam vulgo *duorum fontium* nuncupant.
62. Apostolicam quarti Evangelii originem iniuria prorsus impugnant bibliici rationalistae quam plurimi.
  63. Auctoritatem historicam Actuum in dubium revocare aut aliquo modo minuere non licet.
  64. Verba Sancti Pauli in capite quarto Epistolae primae ad Thessalonenses vv. 15, 17, non involvunt affirmationem Parusiae tam proximae ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis, qui superstites ituri sunt obviam Christo.
  65. Potest homo naturalis rationis lumine Dei existentiam certo cognoscere et variis argumentis ex creaturis desumptis invicte demonstrare.
  66. Est in Deo scientia perfectissima, cui omne verum subiicitur, ac proinde etiam futura libera, quin inde periclitetur humana libertas.
  67. Tres esse in Deo personas Patrem scilicet, Filium et Spiritum Sanctum, realiter inter se distinctas in eadem numerica natura, ex Novi Testamenti Scripturis et Traditione invicte demonstratur.
  68. Dogma SS. Trinitatis tum quoad essentiam, tum quoad existentiam est mysterium proprie dictum. Ideo est supra, non tamen dici potest contra rationem.
  69. Dantur in Deo processiones immanentes; quae sunt duae tantum, generatio nempe Filii a Patre et processio S. Sancti a Patre simul et Filio.
  70. Personae divinae constituuntur tribus relationibus sibi mutuo oppositis; quae tamen cum essentia divina realiter identificantur.
  71. Deus mundum resque omnes quae in eo continentur secundum totam suam substantiam ex nihilo produxit, seu creavit, voluntate ab omni necessitate libera et simul ab initio temporis.
  72. Inter omnes a Deo conditas creaturas eminent Angeli, quorum natura pure spiritualis est, quorumque ingens extat et ordinata multitudo.
  73. Angeli electi fuere ad ordinem supernaturalem, a quo tamen

plures sua culpa exciderunt, proindeque et boni et mali Angeli existunt.

74. Angeli boni ad hominum custodiam deputantur.
75. Adam et Eva etiam quoad corpus immediate a Deo conditi fuerunt, atque ab ipsis solis universum humanum genus propagatum fuit.
76. Protoparentes in originalis iustitiae statu creati, praeterquam gratia sanctificante, ditati fuerunt donis integritatis, immortalitatis, impassibilitatis, neenon et praeclarae rerum scientiae.
77. Dona iustitiae originalis protoparentibus collata, indebita omnino sunt humanae naturae.
78. Protoparentes, Dei mandatum in Paradiſo transgressi, statim e statu iustitiae originalis exciderunt, supernaturalibus donis amissis, vulneribusque quoad ipsas naturales facultates sauciati.
79. Adam, peccando, non sibi soli, sed universae humanae propagationi nocuit; atque hoc peccatum, quod origine unum est, propagatione transfusum omnibus inest unicuique proprium.
80. Formalis ratio originalis peccati in privatione gratiae sanctificantis consistit, ex Adae praevaricationes in posteros derivata.
81. Dogma de transfusione peccati originalis cum rectae rationis principiis nullo modo pugnat.
82. Natura divina et natura humana hypostatice unitae fuerunt in unica persona Verbi, ita ut Jesus Christus sit verus Deus et verus homo.
83. Demonstrari nequit mysterium Incarnationis rectae rationi ullo modo repugnare; immo, posita revelatione, ratio ostendere potest mysterium Incarnationis valde convenire, sive ex parte Dei, sive ex parte hominis.
84. Incarnationis finis principalis probabilius ita est redemptio generis humani, ut nisi Adam peccasset, Christus venturus non fuisset.
85. Sola Persona Verbi incarnata fuit, seu assumpsit humanam naturam et hanc assumendo suas quidem fecit humanas infirmitates, sed divinam naturam divinaque attributa minime se posuit, nec ad tempus abdicavit.
86. Christus ut homo scientiam eximiam habuit ab omni errore im-

- munem: haec autem scientia triplex est, visionis scilicet, infusa et acquisita.
87. Christus nos redemit non tantum doctrina et exemplis, sed specialiter morte sua piaculari, pro nobis satisfaciendo et gratiam merendo, eiusque Redemptio omnino universalis est dicenda.
  88. Christus ut homo Deus, est Supremus Pontifex seu Sacerdos et seipsum Deo Patri pro nobis offerens in cruce, morte intercedente, verum et perfectum obtulit sacrificium.
  89. Cultus SS. Cordis Jesu ,ab Ecclesia probatus, est ab omni superstitionis labe immunis, pius, et valde utilis.
  90. Beata Virgo est vere Dei Genitrix, fuitque semper Virgo ante partum, in partu et post partum.
  91. Beata Virgo, in primo istanti suae Conceptionis, intuitu meritorum Christi, fuit ab omni originalis culpae labe praeservata immunis.
  92. Est sententia pia et bene fundata Beatam Virginem post mortem non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus assumptam esse in coelo.
  93. Cultus Sanctorum eorumque reliquiarum et imaginum licitus, pius et valde utilis est.
  94. Necessaria est gratia actualis ad omnes et singulos actus salutares, neconon ad fidem salutarem, et ad cuiuslibet salutaris operis initium.
  95. Potest homo lapsus, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter honesta facere, atque homo peccator ante adeptam iustificationem, divina gratia adiutus opera etiam perficere supernaturaliter bona: et ideo non omnia infidelium aut peccatorum opera sunt peccata.
  96. Datur gratia efficax, quae nimirum infallibiliter obtinet effectum ad quem ordinatur, quin libertati officiat.
  97. Admittenda quoque est gratia mere sufficiens, quae suo nempe caret effectu, praebet tamen veras animae vires supernaturaliter agendi.
  98. Actualis gratia ordinatur ad hominis iustificationem, quae fit per internam gratiae sanctificantis infusionem, non autem per externam imputationem iustitiae Christi.

99. In iustificatione impii peccata non teguntur solum, sed vere a Deo remittuntur ac prorsus delentur.
100. Iustitia et gratia sanctificans amitti potest, atque reapse amittitur, non solum infidelitate, sed quolibet letali peccato.
101. Per bona opera ex gratia facta vere merentur iusti vitam aeternam, cuius intuitu licet profecto recte operari.
102. Fides est assensus intellectualis firmus et liber, quo ea quae a Deo revelata sunt, vera esse affirmamus propter auctoritatem Dei revelantis.
103. Praeambula fidei et motiva credibilitatis quanvis ante fidem praequirantur ut fides sit rationabilis, non tamen pertinent ad motivum internum et specificans fidei.
104. Spes theologica est actus quo homo appetit Deum supernaturali beatitudine possidendum, fretus auxilio divino promisso.
105. Spes ut amor beatitudinis coelestis est actus honestus.
106. Caritas est actus quo diligitur Deus ut summum bonum et absolutum.
107. Sacraenta Novae Legis a Christo immediate instituta sunt.
108. Sacraenta Novae Legis, septem sunt, nec plura nec pauciora.
109. Sacraenta Novae Legis gratiam conferunt ex opere operato omnibus obicem non ponentibus.
110. Tria Sacraenta characterem spiritualem imprimunt in anima, Baptismus scilicet, Confirmatio et Ordo.
111. Nec fides nec sanctitas (seu status gratiae) requiruntur ad validam Sacramentorum administrationem.
112. Ad validitatem Sacramentorum requiritur intentio interna faciendo quod facit Ecclesia; quae intentio sufficit, et requiritur, ut sit virtualis.
113. Baptismus aquae est verum Sacramentum a Christo institutum.
114. Baptismus aquae est adultis necessarius necessitate medii, relativa tamen.
115. Infantes valide et licite baptizari possunt et debent.
116. Confirmatio est verum et proprie dictum N. L. Sacramentum.
117. Christus est vere, realiter et substantialiter praesens in Eucharistia.
118. Christus fit praesens in Eucharistia per transubstantiationem, idest per conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem ipsius, manentibus dumtaxat speciebus.

119. Eucharistia est verum et proprie dictum N. L. Sacramentum.
120. Missa est verum et proprie dictum sacrificium N. L.
121. Christus Ecclesiae contulit potestatem remittendi et retinendi omnia peccata post Baptisma commissa et quidem actu vere iudiciali.
122. Confessio Sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptisma commissorum est iure divino necessaria.
123. Ritus quo potestas peccata dimitendi exercetur est verum N. L. Sacramentum a Baptismo distinctum.
124. Ecclesia potestate gaudet indulgentias concedendi, quarum usus christiano populo maxime salutaris est.
125. Extrema Unctio est verum et proprie dictum Sacramentum N. L. a Christo institutum et a S. Jacobo promulgatum.
126. Ordo seu Sacra Ordinatio est vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum.
127. Matrimonium inter christianos legittime celebratum est proprie dictum Sacramentum.
128. In christianorum matrimonio ratio sacramenti a ratione contractus separari non potest.
129. Ministri Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes soli.
130. Ecclesia potestatem habet statuendi iure proprio impedimenta matrimonium fidelium dirimentia et iudicandi causas matrimoniales quae matrimonii vinculum respiciunt.
132. Sapienti consilio Ecclesia sacris ministris legem coelibatus imposuit.
133. Lex definitur ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata.
134. Est autem divina vel humana; illa prout consideratur in Deo appellatur aeterna; prout est in homine, naturalis.
135. Praeter legem aeternam et naturalem necessariae sunt ad directionem humanae vitae leges aliquae positivae, sive divinae sive humanae.
136. Lex humana non potest praescribere actus mere internos.
137. Lex mere civilis non obligat ante iudicis sententiam.
138. Non licet agere contra conscientiam invincibiliter erroneam.
139. Non licet agere cum conscientia dubia,

140. Licet agere iuxta opinionem quae libertati favet, quotiescumque ea est vere probabilis, probabilitate iuris.
141. Peccatum mortale, ex parte substantiae actus convenienter definitur; dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam.
142. Ex parte defectus peccatum definitur: aversio a Deo fine ultimo per voluntariam conversionem ad bonum commutabile.
143. Omne et solum peccatum mortale per se inducit reatum poenae aeternae.
144. Peccatum veniale est actus moraliter malus, qui non tollit principium ordinis per aversionem a Deo.
145. Suicidium et duellum sunt prorsus illicita.
146. Ad vitam tuendam, vel propria servanda, licet invasorem occidere.
147. Ad restitutionis obligationem contrahendam, ex rei acceptione, oportet esse damni causa formaliter iniusta.
148. Ecclesia potestate pollet libros prohibendi, fidei vel bonis moribus adversos.
149. Ad statum religionis requiritur votum paupertatis, castitatis et oboedientiae.
150. Scandalum caritati erga proximum praecipue adversatur.
151. Votum est actus religionis et gravem obligationem inducit.
152. Juramentum, seu invocatio Dei in testem, licitum est et est actus religionis.



Visto

*Taurini, die 10 Martii 1926.*

Rev. Doct. Barth. Fascie. Salesianae Sac. REVISOR.

---

Visto

*Taurini, die 25 Martii 1926.*

BIANCHETTA. Praeses.

---

V. Imprimatur:

✠ JOSEPH Archiepiscopus.